ARTICLE XII.

De Linguâ Othomitorum Dissertatio; *Auctore Emmanuele Naxera, Mexicano, Academiæ Litterariæ Zacatecarum Socio. Communicated to the American Philosophical Society, 6th March* 1835.

Pars Prima.

Intuenti mihi, viri gravissimi, antiquæ Mexici victas Divinitates, et quas natura, benigno sub quo primam ego lucem vidi cœlo, liberali manu donavit divitias, vestrâ hâc domû, à vestro nimis noto ergà antiqua nationum monumenta studio collectas, pulcherrimoque ordine compositas, atque ibi illius *quæ Anahuac fuit*, mihi spolia contemplanti, ità vivida dulcis patriæ subiit imago, ut me in ejus sinu potiùs, quam ab eâ exulem, inter pristinas Mexici Pænates, magnâ cum voluptate, esse credebam. Meos antè oculos tunc temporis, magnificentissimum Tenoxtitlanis templum ab impiâ pietate, cujus nescio, sed cultissimi tamen veterisque populi arte constructum: Cholulæ columna, multis ab hinc sæculis, ut, jàm oblitæ rei, à natione nunc etiam oblitâ, memoria numquam periret, ædificata: Popocatepec, albo nivis linteo, quasi chlamyde coopertus, venerabile mari terræque caput demonstrans: horti, depictis floribus ridentes, à lasciviantibus auris suavitèr impulsi, statimque repulsi, hinc illincque aquis, ut Veneris olim filiæ, supernatantes: horri-

dum, lato ore, ignem cineresque evomens, quibus nescio iris, Xurullum: Mexicus, mea illa vitâ charior Mexicus, lacûbus, canalibusque circumdata: ipsi illi lacus, et canales innumeris cymbis, à puellis Indianis, nigro capillo, et nigris oculis pulcherrimis, super fructuûm olerumque throno sedentibus, suavi voce, et suaviori linguâ, hæreditate ab earum avis receptâ, antiquas historias, virginales amores, et Mexici antiqui fata canentibus, lamentantibusque, remigio gubernatis, arati: sacra robora, Hircaniis ætate paria, Tenoxtitlanis civitatem, ut vigiles ac custodes, circumcingentia: Chapultepeci mons, cujus in nemore, nihil aliud nisi passerum modulamen, ac rivorum triste murmur, antiquorum regum, quorum ibi silentia oblitaque sepulchra jacent, manes perturbat, ex aquis apparentem urbem contemplatur: urbs, denique, Mexicus illa, ubi adhùc Moctecuzomæ regali veste, regali visu, regali majestate conspicui circùm augusta umbra vagat; ubi Cortesii strenui, reges debellantis, nationes antiquas expugnantis, gravis, virilisque aspectus, et nunc videri, videtur; ubi miserrimi, non tamen lugendi sed admirandi Guatemozii, ex equuleo, ejus à secretis viro calamitosum eorum casum ipsiusque dolores, ingentibus clamoribus lamentanti, dicentis, "Numquid et ego in rosarum lecto occubo?" vox Romano digna, auditur: ubi tandem et quia victor et quia victus, Hispane Leo, rugire tu audire: tuque, Mexicana Aquila, mea dulcis mater, et victa et victrix, tuos sub alis filios congregas ac foves; ubi eò undè venerunt, tot gubernatorum imperia, quot, paucis annis, apparuerunt, repentè arrepta rediisse videmus. En quæ meos ante oculos, cumulatim prætereunt. Qui non tunc Mexicani cordis sensus? quos animus motus non experietur? Nam optimè ille philosophus: vel ipsi patriæ lapides cari. Et sic Themistocles, apud Metastasium, regi interroganti, quid tantum amaret in Athenis, mirabiliter respondit:

"Tutto, signor: le ceneri degli Avi,
Le sacre leggi, i tutelari Numi,
La favella, i costumi,
Il sudor che mi costa,
Lo splendor che ne trassi;
L'aria, i tronchi, il terren, le mura, i sassi."

Quis verò, viri gravissimi, ex Mexicanis, ave istis patriæ exuviis dicat quin et vobis illas conservantibus, gratias, easque quam maximas, referat?

Ecce vobis, quæ tantum mihi animum tantamque addidit audaciam, ut ante vestram sapientum coronam, ad me, gratum ergà vos, exhibendum sistam, rationem. Quod verò, vobis dignum donum, imò, non indignum, ex me devovere possim? Liceat mihi, et quæ pauper possum ante Minervæ, cujus vos sacerdotio fungitis, aras offerre. De Anahuac quæ dicturus sum agent, et illa etiam mihi cara, quæ juventutis oblectamenta fuerunt. Sunto nunc exilii spolia opima, ea si vobis placeant.

De antiquitatibus ergò Mexicanis orationem habiturus, non semel, sed pluries, dummodò id vos mihi concedatis honoris, ab eâ linguâ exordiri volo quæ, licet magis ab omnibus barbara habeatur, minùs recentibus formulis implicata, multæ ætatis, agrestem vultum, multorumque sæculorum ab hoc nostro, simplicitatem præ se fert. Non enim dulcis, ut Tarasca; non dives, ut Mexicana; non facilis, ut Huasteca; sed ea dura, jejuna, ori ingrata, aurique ingratior: nil in eâ non rusticum, nil non vastum, nil non inconditum. Populus, eam qui loquebatur, non cultus, non ullo disciplinarum genere perpolitus, inter septentrionem orientemque, in Anahuacensi plagâ, vitam pauperem, ferè sylvestrem degebat, nunc verò, hinc illincque divisus, à primâ eorum sede, ab Hispanis exules, non meliorem pristinâ, miserrimis pagis, vivunt illi. Eorum ipsi linguam, *Hiāhiū* nominabant, quod nomen fortassè Germani scriberent *Hiang-hiung*. *Hiā* apud eos, quod Latinis *sermo; Hiū* verò *sedere, manere, quiescere,* vult. Quapropter Hiāhiū, *sermo qui quievit,* interpretandum, verborum sensus postulat fidus.

Quæ hujus cognominis causa? Numquid alii inter eos populi iter facientes, alias loquentes linguas, diversos illis sermones sucessivè donârunt? Sed tunc illos propriam hospitibus donasse, non alienam ab hospitibus recipisse, credere oportet. An potiùs illi ipsi, multas distracti per terras, nunc hunc, tum illum ediscere sermonem, veterem frequentèr exuere, novumque induere, coacti sunt? Sed si eorum linguæ, pacis tranquillitatisque nomen imposuêre, seipsos *errantes, peregrinos,* appellaverunt. *Othomi* enim, ità interpretandum: *Otho,* nil; *mi,* sedentes; nomen valdè proprium, quibus nec etiàm sub Mexicanorum Hispanorumve imperio, sedere licuit. Undè ergò illi? Quas terras peragrarunt? Quas linguas ediscerunt dedisceruntque? Quam tandem Hiū, *sedentem,* denominabant? En quæ eorum à linguâ,

petenda, si priùs ejus natura develanda cognoscendaque erit. Atque iterùm, an hæc ex earum numero, lingua erit quæ imminutæ, vel ex iis quæ auctæ Anahuacensi sub cœlo haberi debet? Nulla ne ibi soror? Non etiàm ejus Mater? Sine dubio, nobis certo certiùs illud esse potest, Mexicanam, Tarascam, Huastecam, Tarahumaram, Zapotecam, Matlatzingam, Pirindamque linguas alias omninò ab Othomiticâ, alium proindè earum originem esse. A Mexicanis verò eorum dominis, Huastecisve eorum vicinis, quod unicè poterant, id acceperunt, nempè, conjugandi artificium; cætera verò omnia si non integra, saltem incorrupta à patribus recepta, Othomiti, quod posteà videbimus, servarunt. Rudis illa, tamen nescio quid venerabile, antiquum redolens, lingua.

Si quis verò, ad barbaros homines, de barbarorum linguis moribusque, examinationem mandandam credat, ille Terentii dicentis, "nil à me humani alienum puto," meminerit, et quomodò homines veteribus fuerunt ætatibus, scire non dedignabitur. Præthereà, quos antiqui Indi modos, ad linguas perpoliendas ornandasque adhiberunt, Philologia optimè, nunc temporis, noscit, historia edocet, philosophia intellexit; interest ergò ut nunc et quo illæ linguæ pristino in statu fuerint, eâdem perfectione agnoscamus. Neque sua illi Othomitico pulchritudo deest: non quidem lenis, luxurians, nitida, sed ut rupes nuda, aut senex robur, ità quid asperum sed sublime videtur. Quæ quis pulchra non judicabit?

Utrùm aliquando scripta hæc Othomitorum lingua fuerit, quodve scripturæ genus habuerit, presenti tempore, discutere, ullo sine fructu, cùm certè illa scriptura, si unquam extiterit, cognita non sit, esset. Itaque de linguâ numquam scriptâ, loquuturus, non de litteris, sed de sonis quæ de ejus alphabeto dicenda sunt, me agere velle necessum puto.

Quinque vocalium literarum, *a*, *e*, *i* vel *y*, *o*, *u* (*u* Hispanici vel *ou* Gallici), sonos, diversummodè tamen expressos, habent Othomiti. A, enim aliquandò ex pectore exiens à nasu finalitèr exprimitur, aliquandò verò in gutture incipit, et repentino hiatu secatur, qui sonus agrestis, hispidusque est quem Ludovicus de Neve y Molina, voce Hispanicâ, *hueco*, Quintilianus *fuscam* vocem vocat; aliquandò tandem naturali, claroque sono, profertur.

E, tunc longissimè protrahitur, quasi balatum ovium imitans, undè Ludovico Neve y Molina hunc sonum *ovejuno*, quod Hispanicè *ovillum* sonat, vocare placuit; nunc verò gutture pectoreque incipiens, gradatim voce elevatur, cùmque fortior est, repentè quasi per aëra diffusus, disparet; quem sonum *gutturalem* nominare possumus. Hic enim è gutture natus, ascendit ut à nasu occidatur, quem sonum *nasalem* vocabimus; illic verò nullâ gradatione, æquali voce, ut *é* Gallicum et *a* vel *ay* Anglicum profertur.

I, duplici sono exprimitur; primo quidem naturali nobisque communi; secundo verò nasali omninò, ut Anglorum *ing*.

O, nullo vocis gradu modulatur, semperque ut *o* Gallicum exprimendum.

U, Hispanicum vel Italicum, aut *ou* Gallicum semper sit; non tamen eodem modo proferendum. Aliquandò nasu profertur, velut *ung* Germanicum; aliquandò verò gutturale, quasi grunnitum porcorum imitans; denique et naturali vocis motu dicendum est.

1. Quinque itaque Othomiti Indiani intonationibus, ad vocales exprimendas utuntur.

Prima enim quæ nimis protrahit sonum, utrùm *pking* Sinensium intonationi similis dici potest, sapientes decernent.

Secunda verò ex pectore guttureque incepta, cum fortior, tunc evanescit; fortassè *khin* sinico non discordans.

Tertia, à nasûs operâ acta, *chàng* sinensis nomine avocari, à recto non multùm devium iret.

Quarta ex gutture oborta, non multùm durat, cum repentè dùm plus valet rumpatur. Eritne ità ut sinicum *ji?* Alii viderint.

Quinta verò, vix intonatio dici potest: non enim vox ex eâ aut augetur aut minuitur, nec ascendit descenditve ullo ex gradu; semper illa, eâdem in viâ, ut ità dicam, decurrit: ut nascitur, ità vivere desinit.

Consonantium litterarum soni ità se habent. B, D, ut apud Gallos, G semper durum, ut apud nos antè vocales *a* et *o*; H fortitèr exspiratum, velut *ch* Germanorum; M, N, ut apud Gallos et Italos; GN ut ñ Hispanicum; P, K, R, ultima suavis semper, numquàm durum ut R Hispanorum; S, T, Z, ut Gallorum; W, Anglorum, in *water; ph* nec ut nostra *f*, nec ut ϕ Græcum, sonat; X, semper ut *ks*; CH ut Anglorum in *church*. Est et alius illis sonus, qui solùm *ts* litteris

exprimi potest. K simplex vel duplex est. Duplex Hispano-Mexicani grammatici *cc castañuelas* vocant, quia ejus sonus similis est stridori à simiâ facto, nuces frangenti. Litteris *cc*, *qq*, vel *qh* oculis pingitur. T, aliquandò etiàm duplo sonitu effertur.

Non tamen id satis, cùm multa verba incipiunt finiuntque, cùmque duobus ex syllabis unum verbum faciunt, medio verbo, et gutturis et nasûs, et anhelationis hiatûsque intonatione, vocem modulant; quæ, quomodò nostris litteris exarari notarique possent? Quâ de causâ, illi qui priùs de linguâ difficile onus scribendi sibi assumpsêre, aliquandò *h*, aliquandò *ng* aliquandò *nn*, et etiam *nug*, *mm*, litteris, ad illa exprimenda usi fuêre. Hinc enim, liquidò constat illud, ni fallor:

2. Nostris, nec Hebræis, Græcisve litteris lingua illa scribi, non nisi difficillimè potest.

3. Deindè, nullâ viâ nos homonyma verba, quorum varia significatio, seu gestibus, seu levi modulatione, expressa, etiam cum loquuntur, nisi ex circumstantibus distingui nequit, separare aut annotare possumus.

4. Suâ itaque sui generis scripturâ indigeret Othomitorum lingua, si scribenda foret.

5. Ità illius generis scriptura invenienda, quæ non modò litteras, sed et intonationes ipsas depingeret; nàm diversa intonatio uni verbo diversum sensum donat. (Vide annotationem, in fine, sub littera A).

Et hoc licet punctis, ut Massoreticis, exempli gratiâ, assequi, haberique possemus, tamen adhùc vacuum nobis implendum esset; nàm multa verba iisdem sonis iisdem et intonationibus, non idem significant. *Hē* enim, exempli gratiâ, mons; *hē* glacies; *hē* fingere, est. *Moui* cor: *moui* anima: *moui* animi indoles: *moui* animi motus. *Nheau* bonus: *nheau* pulcher: *nheau* aptus: *nheau* justus: *nheau* perfectus: *nheau* urbanus, aliaque innumera; quapropter:

6. Othomitica lingua, eo scribendi genere indigeret, quo et diversus verbi sensus ex diversis signis animadverti posset.

7. Hoc forsitan, sinicis signis, obtineri liceret.

8. Est, itaque quædam inter utramque linguam analogia.

9. Proindèque, earum natura, non multùm dissimilis credenda. Quod quidem, nec affirmare, nec negare audeo; hoc verò quomodò

possem? illud nolo; sed facta solùm exponere meum est; quisque ex iis quæ sequantur, ea mecum considerabit.

10. Nomina aut unâ aut duobus constant syllabis, perpauca tribus; hæc verò post dominationem Hispanam, ut puto, composita. Quæ diversis hisce syllabis componuntur ità generis sunt, ut quæque syllaba pristinum sensum earum quælibet retineat, ac servet. Undè, nomina, quæ plures quam unam, syllabas habent, ex syllabis aliquid significantibus anteà, præexistentibusque, et in compositione earum significationem haud amittentibus, formantur. (Vide Annot. A. B. et C).

Nullum inflexionis genus illa nomina cognoscunt: eumque idem quod nomen, id verbum; idemque, ut nomen substantivum habeatur, particulâ *na*, quæ in istâ linguâ *unum*, ac etiam, pronomen *ille*, *illa*, *illud*, significat, undè articuli vices gerit, afficitur. Non tamen id, nisi cùm dubii, vel æquivoci periculo adest. Plurale à singulari nomine, cum *ya*, vel *yē* aut *ē* discernitur. *Yē*, vel *ē* pluviam significat, *ya* particulæ significatio ignoratur.

10. Una itaque particula sensu carens esse dici potest.

11. Et nomina omninò flexionibus carentia.

12. Nullum nominibus genus. Quod adjectivum, id et substantivum est (vide not. D). Adjectivum substantivo præit. Cum adjectivum pro substantivo ponitur, *na* in *sa* mutatur, ut *na nheau*, bonitas; *sa nheau*, bonum; *na nheau yĕh*, bonus homo. *Sa* nil per se significat, significationem adjectivam designat.

Particularum auxilio quæ et tempus et personam indicant, verba conjugantur. Triplex cuilibet tempori particula: quæ in singulari, illæ in plurali numero; undè hic ab illo, pronominum *hē*, nos; *wi*, vos; *yu*, ille, auxilio distinguitur. Quatuor supra decem particulæ illæ sunt, sensuque, nunc temporis saltem, ut quæ apud sinenses *vacuæ* vocantur,* carent. Indicandi, imperandique modos solùm Othomiti cognoscunt. Secunda imperativi persona, nullâ omninò notâ, particulâve afficitur, sed diversimodè illa formatur: aliquandò enim, verbo repetito, ut *Tè*, facere, *Tètè*, fac: aliquando verò vel nomine vel verbo adjuncto, non absimili significatione separato, ut *O* recordari, *Op'ho* recordari et cognoscere, recordare tu, nempè *scribe* (id enim sibi vult *Op'ho*) et

* Remusat, Grammaire Chinoise, p. 35, sect. 62.

non semel tandem verba illa, *facere*, *exequi*, *uti*, *exercere*, *in executionem mandare*, verbo jungenda erunt; sic *O* recordari sibi, suprà ut vidimus, vult, et *Khā* facere; *Okhā* memento. Quod quidem eam personam conficiendi artificium, antè particularum inventionem usumque, et inceptum, anteàque inventum, quis non videt? Undè,

13. Tempus fuit, quo conjugationis, ut nunc, artificium in eorum linguâ non haberent Othomiti.

Veteris formæ tempora distinguentis vestigia, adhùc lingua retinet. Quod quidem omnibus Anahuacensibus linguis accidit, ut pristinæ naturæ non omnia amittant, licet longissimè ab earum origine sint; quod et aliquandò futurum, ut discordiæ horridus ille Diabolus, Mexicum cruciare, turbareque fatigatus saltem desistat, mei concives, linguarum earum, proindèque Indorum ortum itineraque reperturos, credere, sperareque nos monet. Quamobrem Indi Othomiti, præsenti et nunc tempore, verborum conjugationi; *ma*, *ni*, *nā* adjectiva, aliquandò addunt. Non quidem frequens hic usus, antiquior et ideò. *Mā*, præterita res; *ni* præsens; *mi* ventura; *mā pa* præterita dies, *ni pa* præsens dies; *na pa*, futura dies. Illi ergò non semel ità dicunt *ni di mā*, ego amo: *mā da mā* ego amavi: *na ga mā* ego amabo, quod superfluum inutileque est, nàm *di mā*, *da mā*, *ga mā*, idem ac sine illis adjectivis, exprimit. Neque verò, quis illos elegantiæ ergò hæc addere putet; non enim illi elegantes se curant, neque euphoniæ causâ id faciunt; nam raró illa nomina addunt, et se miseros putarent, si ità essent delicati ut euphoniam quærerent! Fortassè multa linguæ pars, ut Itali dicunt, *se n'andarebbe nella limatura.*

Eodem conjugandi artificio, Othomiti ac Mexicani eorum Domini, et Huasteci eorum confines, utebantur, quod animadvertere à re alienum non est. Eorumne omnium linguæ eundem fontem habuerint? eademne, illi ex radice rami germinarunt? Id impossibile, illas cognoscenti, videbitur. Non enim Othomitos formam eam ad verba conjuganda, initio vidimus habuise. Aliundè quidem illam receperunt; à Mexicanâ, nempè vel Huastecâ, ut videre hâc ex collatione, est.

En triplex illarum linguarum conjugandi artificium. *Chihua* apud Mexicanos, *Tahjal* apud Huastecos, *Tè* apud Othomitos, idem tria illa verba, quod *facere* apud Latinos, sunt. Quo quilibet ex eorum, artificio, ad eum conjugandum utebantur, videamus.

Mexicanus,	Ni	chihua	Ego facio.
Huastecus,	V	tahjal	
Othomitus,	Di	tè	
Mexicanus,	Nite	chihua ya	Ego faciebam.
Huastecus,	In	tahjal itz	
Othomitus,	Di	tè hmā	
Mexicanus,	Onitla	chiuh	Ego feci.
Huastecus,	V	tahjamal	
Othomitus,	Xta	tè	
Mexicanus,	Onical	chiuh ca	feceram.
Huastecus,	V	tahjal ac	
Othomitus,	Xta	tè hmā	
Mexicanus,	Ni	chihuaz	faciam.
Huastecus,	quia	tahja	
Othomitus,	Ga	tè	
Mexicanus,	Onitla	chiuh	fecero.
Huastecus,	V	tahjamal	
Othomitus,	Ga xta	tè	

Imperativo nulla omninò inter illa et Othomitica verba artificii similitudo. Sed in triplici illâ linguâ modus infinitivus non invenitur, et in eis futurum imperfectum pro infinitivi temporibus vices gerit. Ità enim, exempli gratiâ, hæc oratio, *Ego volo facere*, reddi oporteret;

in Mexicanò,	Nieniqui	chihuaz
in Huasteco,	Vle	quia tahja
in Othomito,	Di ne	ga tè
id est,	Volo,	faciam.

Tanti momenti res, ut verba conjugandi artificium, tam simile in linguis suâ ex naturâ tam diversis, casu efformari quomodò potuisset? Ejusdem effectus, eadem causa. Ejusdem linguæ filias, Othomiti et Mexicani linguas quis credet? Una igitur ex iis linguis ab aliâ, formam illam, imitatione recepit. Ab Othomitis, vix ad duos conjugationis modos sequendi capaces, Mexicani mille conjugandi verbi modis, generibusque onusti emendicarent? Othomitine suâ in linguâ omnis compositionis expertes, verborum formularum donum, Mexicanis syntheticarum formarum peramantibus et Polysyntheticam linguam vel infantem loquentibus, fecissent? Absit. Iterùmque hic videmus, quod,

14. Ab alienis, Othomiti conjugandi formam receperunt, ac,

15. Suo initio proindè, lingua illa conjugationis formis caruit.

Si quis verò, Othomitos Indos conjugandi formam à juvene illâ linguâ Mexicanâ, quam et culta natio perfecit, quâ miserrimus ille et rex et philosophus Tezcocanus Netzahualcoyotl elegiaco versu, sublimi plectro, ejus omnisque humanitatis casus deploravit, quamque tandem Hispani, floridam, phaleratam, ornamentis luxuriantem, divitiis affluentem admirârunt, non recepisse contendat, is veri metam fortassè attinget, etiam si conjugandi artificium Othomitis, agrestem, senem, rugis aratam, voce rusticanam illam quæ olim in utero, nescio quibus à regionibus, Mexicanam illam, gratiosam, et pulchram portavit, quamque mundo in Anahuac edidit, dedisse existimet. Sed de hoc aliàs, nil enim ad præsens. Mexicana lingua, alterâ antiquior, conjugare verba Othomitos docuit: esto: quid deindè? cujuscumque illud jus sit, illud rapiat, aut vindicet; non cum eo disputabimus; quantò enim magis, pluresque linguæ, primum illarum formarum dominium vindicent, tanto certius illud erit, Othomitos aliquandò non habuisse has formas, ab eorum linguâ alienas, ab eâque proindè, cum de eâ judicare velimus, rejiciendas.

16. Othomiti non nisi activa verba conjugant; non illis passiva, non compulsiva, non casualia, non denique ullum eorum verborum quæ sive nostris, sive aliis Indianis linguis inveniuntur, genus.

17. Verba illa, unius sunt syllabæ, aut ad summum, duobus syllabis constant (ut videre est in annotationibus sub litteris A et C.

18. Verba quæ suâ ex naturâ sunt, plures quam unam nunquam syllabam habent; undè imperativi secunda persona alio cum verbo formatur. (Vide Not. C.) Hoc secundum verbum, sensum primo analogum, vel illum intensiorem ut ità dicam, vel extensiorem, secùm portat; quàpropter:

19. Omnia verba unâ tantum syllabâ constant, imperandi tempus si excipias, in secundâ personâ:

20. Secunda hæc persona duplici syllabâ, duplicem sensum evolvente, constituitur.

Prætereà, omnia nomina verba esse possunt. Cùm enim, substantivo verbo careant Othomiti, verbi illius sensus, idem ac attributum, sive, ut scholastici vocant, prædicatum, putant; aut ut clarius dicam,

ad existentiæ ideam à re existente distinguendam cum impares sint illi Indi, unà simul utramque ideam involutam considerant. Itaque, si Othomitus vult dicere, *ego sum bonus*, ex nomine *nheau*, bonus, verbum *esse bonum* significans format, idque conjugat, ut *Di nheau*, vel *Dna nheau*, ego sum bonus; undè cùm frequenter illa nomina ex duobus syllabis, ut quæ ex duplici significatione composita sint, verba habemus duplicis spllabæ quidem, sed duplicis sensus etiam conjuganda; quapropter:

21. Verba ex nominibus facta, dupli syllabâ duplicem sensum evolvente, conjugantur, si duplices illa syllabæ sint. Cùmque hujusmodi verbis, non usus, ut cæteris, secundum verbum vel nomen designarit, cùmque sine eorum aliquo imperativi persona efformari queat, hoc in casu Indi *we*, quod *es* vel *esto* dici potest, nomini in verbum commutato addunt, ut *nheau we*, bonus esto. Triplex syllaba tunc, sed etiam triplex sensus habebitur, si nomen duplici syllabâ constabit, ut *memthi*, dives, *di memthi* (aut *memthi*, et fortasse meliùs) sum dives, *memthi we*, dives esto.

Sed quâ ratione, quis petet, in parvis quæ de Othomiticâ linguâ, vocabulariis vel lexicis habemus, ut plurimùm, verba duplici constant syllabâ? Quia, eorum auctores, imperativi secundam personam, ut quæ pro secundâ syllabâ, ab aliis homophonis verbis, et distinctior, et determinatior est, ibi posuêre, eo, quidem, modo quo nos, nostris vocum indicibus, verborum infinitivum inscribimus. Sanum, laudeque dignum consilium. Non tamen illud, dicet quis, auctores isti, patefecerunt, aut explanarunt. Fecêre utique, atque ut alios qui et posteà et illius sequentes vestigia scripserunt, ut Sanchez et Rangel omissos faciam, eum, qui meliùs, hâc de linguâ scripsit, Ludovicum de Neve et Molina (Anno MDCCLXVII), consulamus. Ille enim, natione Othomitus, in ejus de hâc linguâ institutionibus, pag. 122 animadvertit, verbum per secundam imperativi personam cognitum fieri, ut quod hâc in personâ nil additum illi, nilve subtractum futurum iri credit. Quod ut meliùs intelligatur, operæ pretium est animadvertere, illum imperativum quasi radicem verborum credebat habebatque; ex illo enim alia tempora formari voluit. Quo factum fuit, ut obscurè, difficillimè, verbi artificium exposuisset. Nec mirum; omnes enim qui de Indorum linguis scripserunt (paucos recentiores si excipiamus, ut Sandoval,

Avila, aliosque), et institutiones efformarunt, Antonii Nebricensis vestigiis adhærentes, eas Latinis sub formulis explanare, totis viribus insudarunt. Tempora illa ità ferebant. Nec tam eos benè de meâ patriâ deque litteris merentes reprehendendos, quod summæ audaciæ temeritatisque esset, quam ad eos explanandos, istius generis laboribus manum apposui.

Sed benè, repones, illis in lexicis, quædam verba illa sine secundâ syllabâ inveniuntur. Id ut verum fateor: ità enim ea verba à lexicis exhibentur, ut quæ nec in imperativo, alterum verbum recipiant. Quæ illa, paucissimo quidem numero, sint verba, et rei causam intelligemus. Sunt enim illius illa generis quibus frequentiùs utitur, et quorum sensus cum alio confundi nequit: ea etiam quæ difficilitèr analogo alio adhærerent, ut *tsi*, manducare; suntque tandem illa quæ familiari sermone nunquam imperantur, ut *tē*, senire, *doū*, mori. Non enim illi miserrimi Othomiti sermone figuris loquente utendi ocasionem habuerunt, non poësi ut Tarasci indulsêre; non denique orationes ad populum, ad regum cœtum, ad principes, ut Mexicani, faciebant. Duo hic animadversione digna, sese consideranda offerunt; unum idque primum, maximo rusticitatis statu Othomitos, longo temporis tractu degisse, alterum, priusquam verba temporibus distinguerent, fuisse tempus, quo nec imperativum distinguendi modum habuissent.

22. Triplex verborum, Othomitorum in linguâ, considerandus status, primus cùm nullum tempus, nullus modus, nulla persona, in verbis distinguebantur; secundus, cùm alii verbi auxilio, verborum imperativum formarunt; tertius, cùm alienam conjugandi formam receperunt.

Quæ cum contemplantur, quis non Othomitorum sermonem minimè à pristino statu remotum videt? Non temporis spatio confectus, sed ex naturâ totus ut Minerva à Jovis capite, si me ità explicare liceat, ortus. Prætereà, quàm non illa sermonis forma antiqua! Quis ergò, quousque in sæculis, linguæ Othomiticæ vetusta ætas attingit, dicere potest?

Utut hæc sint, ad verba illa redeamus: ipsa enim nimis sterilitate laborant. Non ex iis participia, non gerundia, non abstracta nomina spectes. Quem enim ad modum, quod apud eos adjectivum quando illis placet, substantivum fit, ut *sa nheau* bonum; *na nheau* bonitas, ità eliam verbum ipsissimum, nomen abstractum est, ut *mādi*, amare,

mādi, amor. Hoc enim à *mādi*, secundâ personâ imperativi sumitur. Inter has voces differentia, aliquandò sententiarum contextu, frequentiùs verò vocis labore procedit. Grammatici leves has articulationis differentias, cum duplici *tt*, vel literâ *h*, distinguere tentant; sed vani hi conatus; istæ vocis differentiæ, chartæ commendari haud facilè possunt.

Concreta nomina, verbo *tè*, facere, hic substantivè intelligendo, duobus modis formantur; verbo ista syllaba additur, ut *mātè*, amator, amans; aut imperativi secundæ personæ verbum *tè* adhæret, ut *mādi* (*di* et *tè* idem ferè significantes), dummodò alterum verbum sensu non repellat: itaque *creator*, exempli gratia, dicitur *tètè*, nam ridiculum esset dicere *tètètè*, quod idem esset ac *actionis factor factor*.

Solemne apud eos est, ut *too*, qui (relativum), quod hujus modi nominibus præponant, ut *too mātè* qui amat, vel amans. Ex dictis liquet,

23. Nulla verbalia propriè dicta, verba habere, et

24. Quæ sunt, syllabâ additâ, verbum significans recipere.

25. Adverbia adjectivis à nominibus non alia sunt. Omne adjectivum, igitur, adverbiali sensu intelligi potest, ut *nheau*, bonum; *nheau*, benè. Aliquandò, et aliud adjectivum addere licet, nempè, *theau*, omne, ut *nheau theau* bonum omne; quod sonat ut apud nos *benè est*.

En puram, ut puto, linguæ Othomiticæ imaginem: si qui Indi illius naturam simplicem, ornamenti varietatisque ergò, vitiare conantur, quid de illis parvi momenti adhùc mutationibus judicare debeamus, ex Domino de Neve audiamus. "Todo lo qual no pertenece à lo substancial precisamente, ni al general uso de todos los nativos, sino à la mayor energia con que hablan los mas cultos, por lo cual, aunque no se observaran estas reglas, no por eso dejaria de entenderse lo que se quiere decir," id est, "Quæ quidem mutationes (nempè litterarum commutationes, ut *t* pro *d* in quorundam verborum præteritis, aliæque hujusmodi), non conveniunt linguæ, suâ ex naturâ: neque communis loquendi apud Indos usus, eas tolerat, nec fert. Novæ hæc formulæ, elegantiores ab Indis cultioribus additæ sunt, ornamenti elegantiæque gratiâ; id tamen illis parvipensis, nequid detrimenti sensus linguave accipiunt." Quibus in verbis initia corruptionis, linguam deformantia videmus, nàm ut illa meliùs capiantur, nos illud scire debemus, cultiores *ladinos*, hoc est Latinos, eos Indos in Mexico vocari, non qui in

eorum linguis instructiores, eorumque morum tenaciores, sed qui et meliùs hispanè sciunt, qui et Hispanorum sermonis formulas et mores affectant.

Quæ cum ità se habeant, quod de linguâ eâ judicium faciendum videamus.

Nomina, Othomitos apud Indos aut unius sunt syllabæ, aut si plures habent, quælibet ex iis sensum pristinum non amittunt (ex paragrapho No. 10), et earum omnia aliquid significant. (Ex numeris 17, 19, 21, 23.)

Verbalia nomina quæ vocari possent, aut nullam verbo syllabam addunt, aut si addunt, et sensu nova syllaba haud caret. (Ex numeris 25, 26.)

Adverbia aut ipsissima adjectiva sunt, aut si alteram syllabam recipiant, hæc nomen significans est. (Ex numero 25.)

Quotquot itaque syllabæ in Othomiticâ linguâ sunt, earum quælibet, sive per se sit, sive alteri unita adhæreat, semper significat, pristinumque sensum retinet, demptis tamen sex supradecem particulis quæ, ut apud sinenses, dici possunt *vacuis*. Cùmque ea lingua, cujus omnia verba aut monosyllabica sunt aut ex syllabis pristinum sensum non amittentibus constent, quin paucæ exceptiones, cujus pristina significatio lapsû temporis oblita est, ad id afficiant, (ut mihi vobisque optimus, præses ille vester, Petrus Stephanus Duponceau, dixit in primis), ut lingua monosyllabica dici debeat, Othomitorum lingua monosyllabica vocanda habendaque est.

Cùmque id omninò possibile non sit, ut monosyllabica lingua, à syntheticâ, minusque à polysyntheticâ ortum ducat; sine hìc fallendi timore, hæc stabilire licet.

Othomiticæ linguæ origo aliàs omninò à Zapotecæ, Huastecæ, Mexicanæ, Tarascæ, Tarahumaræque linguarum Anahuacensium, cùm hæc nunquam monosyllabicæ fuisse videantur, origine quærenda est.

Diversæ itaque illorum Indorum, nempè Othomitorum, dictarumque suprà tribuûm, aut si ab hinc retrò multis sæculis unius familiæ filii fuerunt, multis sæculis etiam ab hinc retrò sejuncti, diversas terras peragrarunt, non eâdemque viâ ad Anahuac cœlum petendum, iter fecêre eorum utrique.

Othomiti prætereà, alicujus nationis, verbis monosyllabis loquentis, aut posteritas, aut hospites. Quæ illa natio? quo id tempore? Erit

aliquandò, cùm philologia, quæ secreta illa historiam fugerunt inveniat, ac doceat.

Si enim Othomitica lingua monosyllabica dicenda, multa illi homophona esse verba necesse est; et sunt quidem illa. Vocalia, non æquali sono dicenda; nec intonationibus, præter sonos, Othomiti indigent. Cùm verò illæ plures esse nequeant, nec illis homophona omnia verba distingui possunt. Quà propter, ex partium dispositione aliisque circunstantibus, verborum, cùm lingua voce effertur, significatio pendet, et notis, illâ scriptâ, ad significationem designandam, opus est. Nostris id nos litteris præstare non possumus. Itaque, sua illæ scriptura peculiaris invenienda. Ac proindè non ex Hebræi, non ex Græci, nec denique ex recentioribus linguis illa petenda. Non itaque Othomitorum lingua, ex iis, undè Hebræa, Græca, Latina recentioresque linguæ, fontibus exivit. Ex dictis illud videmus, non monosyllabicæ nomen linguam eam demereri.

Sed, si ità esset, suo initio omne compositionis genus abhorruisset? Et quidem cùm solum quod illi est, nempè conjugandi artificium, ab exteris alienisque receperit, nulla illi suâ ex naturâ synthetica forma, ac proindè, nulla hujus generis compositio. Deindè, cum sinensium linguâ monosyllabicâ, unius naturæ, ut ità dicam, utraque lingua consideranda, atque tunc fieret, ut Othomitorum illa sinicis notis scribi posset? Certum id; sed et illud, sinensium scripturâ, optimè excellentèrque præstandum, si opus esset, vidimus. Quaproptèr, nec hisce ex partibus, ut monosyllabica habeatur, jure Othomitica spoliatur.

Benè se itâ res habeant: sed quæ de linguâ Othomiticâ institutiones sunt scriptæ, alitèr videri videntur de eâ eorum auctores cogitasse? Nequaquam, viri gravissimi, sed aliam ab hâc illis viam, ut se explicarent, eligere placuit. Antè omnia, illi linguam ut scriptam considerârunt, illi et etymologiam et orthographiam adaptârunt, deindè illas cum orali linguâ comparantes, cùm unam Niobem, ab aliâ toto aliquandò cœlo distinctam vidissent, ut utrâque unam facerent, quod alitèr non poterant explicare, *syncopen* appellarunt. Ego de linguâ vocali, illi de scriptâ, ut loquatur, scripsêrunt. Prætereà, non in rebus, sed in verbis formulisque, illas explanantibus, eos inter et me est discordantia. Solemne fuit illud de Anahuacensibus linguis scriptoribus, ut eas ad Latinum compararent, totisque viribus coæquarent, nec id

solum, sed et Antonium de Nebrixa (celebrem apud Hispanos linguæ Latinæ Grammatices auctorem), ducem sequentes, constantèrque imitantes, omnia ad hujus doctissimi viri de Latino institutiones, et regulare et explanare voluêre. Ipsas illi loquendi formulas, quarum magnâ ex parte, nec ab ipsis Mexicanis comprehenduntur, ex parvulis chartis à magistris, Nebricensem opus explanandi gratiâ, scriptis, assumpsêrunt. Hinc enim et verborum in Huastecâ linguâ, passiva vox erupit: et quinque Mexicanorum declinationes, et alia innumera, quæ infinitum esset recensere. Quæ quidem eorum virorum qui nobis multa bona et fecerunt, et curarunt ne perirent, pace dicta, et velim et opto. Neque quis nisi injustitiâ, impudentiâque plenus homo illud illis vitio vertere audebit. Quis enim Græcos, quis Romanos, barbaros habebit ex eo quod acum nauticam, quod Copernici, Linnei, Neutonii detectiones, ignorârunt? Novum, quidem, iter à Philologiâ monstratum est; nunc verò tempus, quo et quæ illos præteriêre cognoscere, et quæ solùm prospexêrunt, meridianâ luce ponere, et quæ obscurârunt, dilucidare nunc possunt sapientes. Quod quidem quàm multi ex Mexicanis, suis illis Anahuacensibus linguis præstabunt, non dubito, illi postquam id cognoscant, quanti apud vos, viros sapientissimos, istius generis labor habetur; nàm nil apud Mexicanos, tam cordi est aut unquàm fuit, quam eorum patriæ et honor, et gloria. Itaque benè si vobis ego, meâ fortunâ, vestrâque indulgentiâ nunc audierim, quos non ex meis concivibus, vobis de Anahuacensium linguis, historiâ, naturâ, eâ quâ mihi eloquentiâ, doctrinâ, et philosophiâ non licet, erunt loquuturi! Mihi satis gloriæ obtigisse, si eos antè viam quam illi floribus spargent, irem, et aliquandò ipsos unà vobiscum, nobis et linguarum originem, et hominum qui antè nos hoc in novo orbe fuerunt, iter indigitantes, naturæque divitias quæ, nostris sub solis, affluunt, demonstrantes, et videam et audiam. Utinàm, et sub pacis alis et umbrâ, vestro exemplo, in Anahuac, sapientes unà congregati, quod vos hic pro relligione, pro patriâ, pro humani generis salute, facitis, illic terrarum, aliquandò agere incipiant! Me felicem, cùm et ut vestrâ, meâ in Patriâ, altera academia vestra soror, vestra et amica, eâ quæ vos gloriâ circumfundit non indigna, stabilienda erigendaque erit! Nascatur illa quantociùs; tu verò, hujus Reipublicæ ornamentum et columen; ESTO PERPETUA.

Pars Altera.

LICET tota in id incumbat Historia, viri gravissimi, ut humani generis acta, sive mortuâ scripturæ voce, sive vivâ populorum traditione, posteritati salva integraque servet, mille tamen de causis, quarum magna nobis pars adhùc est incognita, accidit, ut memoria de multis omninò deperierit, et alia non nisi fabulæ cantu, nostras ad aures usque, pervenerint. Et multa quidem tenebris sic undequâque fusa sunt, ut nostros oculos fugiant, et quam ea prospicere, potiùs nobis suspicari, et vix id, liceat. Tempus invidum, naturaque haud semper sibi constans, fœdus inter se, ut quamplurima obliterata facerent, iniisse videntur. Non pauca ex iis philosophia, divinationis quodam, ut ità dicam, numine duce, inveniit: multa in pristinum, multis, eheu! laboribus, sudoribusque restituit: multa tamen, à longè contemplabat, neque quâ viâ lucem ad ea cognoscenda ducere posset, licet id multotiès tentavit, adhùc detegere potuit. An non hujusmodi, generis humani emigrationes itineraque sunt? Quid enim nobis de hominibus Americam olìm habitantibus, antequàm noster hic orbis à nostris inveniretur patribus, philosophia hucusque notum fecit? nil, nisi aborigines illos, quos Indos vocamus, licet alio magnâ ex parte colore (cùm albâ cutis colore non desint Indianæ tribus) eâdem ac nos naturâ homines fuisse. Qui, verò, illi homines? undè venerunt? quà iter fecêre? Hæc illam excruciabant: ipsa verò hæsitabat, nec quæ ignorabat docere poterat. Ad historiam illa tunc sese vertit; antiquas horum populorum traditiones, confusas, obscuras, et ut sybillæ oracula, vera falsis miscentes, quæsivit, et diligentèr indagavit, ac Indorum mores, vetera Anahuacensia monumenta, nunc simplicia et rustica, ut quæ Abrahami Jacobique temporibus erigebantur, tùm Ægyptiorum majestate pollentia, et non pauca Græcâ suavitate et elegantiâ perpolita, Philosophiæ Historia indigitabat; sed quid aliud, illa ex Mistlæ Palenqueque Templis, sepulchris, domibus, ubi non Zapotecæ, non Tcholi, sed alii istis antiquiores populi nobis ignoti, falsas divinitates adorârunt, mortuos

sepeliebant, et vitam degêre, nisi illa nuda, solitaria, mutaque facta, philosophiæ apparuit? Nihil omninò. Nec ideò tamen philosophia desperavit; sed novam sibi viam aperuit. "Populi illi," (sibi ipsi secùm illa cogitans, menteque revolvens), dixit: "muti non sunt; illi loquuntur: benè se res habeat; ego eos adibo, auditura ero eorum linguas, aliis et inter se illas comparabo, et ad eos tandem cognoscendos perveniam. Linguæ non mentiuntur."*

En novum philosophiæ munus, et nova humani generi ex philosophiâ beneficia! Quæ non ex tunc illa, philologiæ sub nomine, perfecit! Quot homines celebres non reddidit! Quas eo ex tempore, veritates in lucem prodidit! Nondùm enim opus absolvit; illud prosequitur, et ad finem usque tandem aliquandò deducet. De linguis enim Anahuacensibus, aliisque illis vicinis, nonne philologiæ judicium adhùc desideratur? Nobis opus, ut eas illa audiat, comparetque, ut quid tandem de illis sentiendum proferat, decernat, præcipiat. Et quò, deus optime, nos illa deducet! quas ipsa veritates omninò novas, incognitasque explanabit, ac docebit! Quis enim unquàm Peruvianos inter et Anahuacenses Indos commercium extitisse, ex historiâ audivit? Tamen, tantam inter Tarascam et Quichuam linguas affinitatem, imò potiùs et cognationem invenimus, quæ casui ille solùm attribuet, qui casualitèr ipse cogitet. Quid de Mexicanæ, Hebraicæque linguarum similitudine dicam? Illa, licèt maxima inter eas sit, adhùc quam probata, potiùs suspecta, aut odorata fuit. Itaque, Othomitorum linguæ genere jam cognito, illius cum quibusdam aliis novi orbis, deindè veteris etiam linguis comparatio, tùm ut ejus natura cognoscatur, cùm ut illius origo investigetur, operæ pretium est. Illa, ut primâ ex parte hujus dissertationis vidimus, Othomitorum lingua monosyllabica habenda est; nec cum Mexicanâ, Corâ, Tarahumarâ, Huastecâve aut Zapotecâ quæ per particularum antè et postpositionem, nec cum Quichuâ, Tarascâ, et Matlatcingâ quæ per earum interpositionem, non modò syntheticæ, sed polysyntheticæ sunt vocandæ, comparari potest. Undè igitur ejus origo? Est enimverò alia Anahuacensis Monosyllabica, *Mazahui* nempè lingua, quæ ità Othomiticæ simillima, ut potiùs quæ inter eas cognatio, quam comparatio quærenda; quod alio

* Languages do not lie.—*Horne Tooke.*

et tempore et dissertatione, Deo favente, præstabo. Una alterius aut mater aut soror, undè ad alias oratio et mens vertenda sunt.

Nihil, igitur, in novo hoc orbe, hujus modi invento, mens statim ad antiquam, venerabilemque Confucii linguam advolat, ac curiositate nimis affecta, earum comparationem instruere desiderat. Si enim Othomita illius roboris ramus avulsus fuit, Indos illos, qui talem sermonem habent, loquunturque, aut sinensium filii, aut hospites fuisse credi, vel saltem suspicari possunt. En scopum philosophiæ dignum! Utinam hæc facta investigare et has linguas comparare mihi liceret! Sed, me miserum, qui linguam sinensem vix extremis labiis degustavi! Auxilio, tamen, istius linguæ grammatices, ab illustri viro Abel Remusat compositæ et in lucem editæ, aliquam comparationem hanc linguam inter et Othomitam tentare audeo. Pro sinensi loquetur ipse Remusatius; ego de Othomitâ solùm tractabo. Ultrà petent alii; memorem esse me decet veteris sententiæ: "ne sutor ultrà crepidam." Operi manum admovere incipio.

1. De lingua Sinensi ità Remusatius loquitur, in libro lucidissimo cui titulus: "Elémens de la Grammaire Chinoise" (Edit. Paris. 1822), p. 35, sect. 60. "Les mots pris séparément, sont tous invariables dans leur forme; ils n'admettent aucune inflexion, aucun changement, ni dans la prononciation, ni dans l'écriture." Othomiticæ linguæ omnia etiàm verba, nullâ inflectione mutantur, et ut plurimum, nec diversâ efferuntur pronuntiatione, nisi quædam, non multa quidem, quæ uno modo, cùm nomina, alio cùm verba sonant, ut *mā*, amare, et *nmā*, amor, quasi *na mā*, ille amor, Gallicè, *l' amour*. Vide suprà quod dixi in primâ parte hujus Dissertationis, de particulâ *na*, quæ articuli vices gerit. Notanda tamen est hìc differentia, sinensem linguam inter et Othomitam; nempè quod prima articulo caret, in alterâ nunc saltem, si sic in veteri linguâ non fuerit, multotiès invenitur.

2. Ibid. sect. 61. "Les rapports des noms Chinois, les modifications de tems et de personnes des verbes, les relations de tems et de lieux, la nature des prépositions positives, optatives, conditionnelles, ou bien se déduìsent de la position des mots, ou se marquent par des mots séparés." Quæ eadem omnia et evenire in Othomiticâ linguâ jàm vidimus, ex primâ parte hujus Dissertationis, et iterùm ex annot. D. videbimus.

3. Ibid. sect. 63. "Beaucoup de mots Chinois peuvent être pris successivement comme substantifs, comme adjectifs, comme verbes, quelquefois même comme particules." Idem Othomiticam linguam præstare jàm vidimus, ex primâ parte hujus Dissertat. Num. 10, 12, 21, et post ex Annot. F. videbimus.

4. Ibid. sect. 70. "Il y a des mots Chinois qui sont toujours adjectifs ou substantifs, d'autres qui sont tantôt noms et tantôt verbes." Quæ conveniunt optimè Othomiticæ linguæ.

5. Ibid. sect. 70. "Le sens des verbes se déduit de la position respective des mots." Hoc verò in antiquâ sinensium linguâ, in recentiori (Remusat, ibid. p. 133), particulæ tempus verbis designant; quem quidem admodum, pristinâ ætate, ab Othomitis fieri utebatur; nunc verò et personas et verborum tempora particulis Indi isti distinguunt. En secundam, utramque inter linguam distinctionem.

6. Ibid. sect. 71. "Il n'y a pas de signes pour les genres. Beaucoup de noms spéciaux marquent les sexes dans les animaux. On détermine le sens de ceux qui sont communs, quand cela est nécesaire, par l'addition de certains mots tels que *fou* (pater), *mou* (mater), *jin* (homo), *niù* (mulier)." Neque in Othomi ullum ad genus distinguendum signum. Animalia aut diverso nomine, diverso esse genere cognoscuntur, propriumque illis pro genere nomen, aut verbis *ta* masculus, et *niou* femina, distinguuntur, ut *ta yo* canis masculus, *niou yo* canis femina.

7. Ibid. sect. 72. "On n' ajoute ordinairement aucun signe pour distinguer le singulier du pluriel; on dit indifféremment *jin* homo, aut homines." Hoc de antiquo sinensium sermone. In novo quidem (ex sect. 297, p. 112): "Le pluriel se marque, soit par les particules préposées *tchoung* ou *tchou*, soit par les noms de nombre indéfinis, soit enfin par les particules postposées, *toû* et *hiâi*." Inter Othomitos, pluralis à singulari numero particulâ *ye* (pluvia) vel *ya*, vel *e* discernitur. Singularis suam etiàm particulam, *na* vel *ma* aut *ra*, habet, quâ sinensis caret, undè hìc, parvi momenti quidem, inter eas tertia tamen differentia oritur.

8. Ibid. sect. 79. "Quand deux noms sont en construction, le terme antécédent se place après le terme conséquent, comme *ho toung*

fluvii oriens." E contrà verò in Othomiticâ linguâ. *Na me nsu*, mater virginis. Quarta hìc notanda differentia.

9. Ibid. sect. 80. "La règle précédente s'applique à tous les noms composés; ainsi l' on dit *thiân tseù*, cœli filius, hoc est imperator." Othomiti aliquandò hoc oppositum faciunt. *Mêti* Dominus divitiarum, id est, dives; *Mātè* amoris factor, id est *amans*.

10. Ibid. sect. 83. "Le substantif, sujet d'un verbe quelconque, ou complément d'un verbe actif, ne prend aucune marque particulière. Le premier se place avant, et le second après le verbe." Hoc etiàm in linguâ Othomiticâ accidit. *Na da i mā na nhò*, rex amat bonitatem, Indi, ut Sinenses dicunt. (Vide not. F.)

11. Ibid. sect. 84. "Le terme d' une action se marque par des prépositions différentes, suivant les idées d' ablation, d' addition, de séparation, ou de réunion qu'elle exprime;" id tàm apud Othomitos quàm apud Sinenses obtinet. (Vid. not. G.)

12. Ibid. sect. 93. "Il y a des mots qui par eux mêmes ont la signification adjective, tels que *tá*, magnus; *siaò*, parvus; *haò* bonus; *ngò* malus: quod apud Othomitos idem est, ut *da*, magnus; *tsi*, parvus; *nhò* bonus; *tsò*, malus.

13. Ibid. sect. 94. "D' autres sont des substantifs qui, joints à d' autres substantifs, expriment un attribut, comme *thiân ming*, cœli mandatum:" et hoc Othomiti etiàm proprium, ut *si thà* cortex patris, nempè avus.

14. Ibid. sect. 95. "Les adjectifs sont soumis à la règle des noms attributifs et se placent presque toujours avant le substantif auquel ils se rapportent, comme *ching jin*, sanctus homo: Othomiti semper adjectivum antè substantivum ponunt, ut *ka ye* sanctus homo.

15. Ibid. sect. 96. "Quelques adjectifs peuvent être pris comme verbes, et alors il arrive souvent que l'accent change pour marquer cette nouvelle acception, comme *hào* bonus, *haò* amare; hoc etiam in Othomi, *Hía* lucescit, *hià* dictum.

16. Ibid. sect. 98. "Tous les verbes forment des adjectifs par l' addition de *tchè*, comme *ssé* servire, *tchè ssé* serviens: quod addito *tè* Othomi præstant. *Pe*, servire; *pe tè* serviens.

17. Ibid. sect. 97. "Les adjectifs peuvent être employés comme noms abstraits; *tá* magnus, *thiân tá*, cœli magnitudo:" idem Otho-

miti, *da* magnus; *na da hetsi*, magnitudo extensionis in circùm, nempè cœli.

18. Ibid. sect. 100. "Le comparatif s' exprime par l'adjectif au positif, avec *iû*, *hian iû*, sapiens præ, sapientior." In Othomi idem cum *nra* habetur: *nhò* bonus, *nra nhò* melior.

19. Ibid. sect. 103. "Le superlatif se forme en plaçant avant l' adjectif un des mots suivans, *ki* summum; *chin*, valde, *tchi*, summè; *tsoúi*, multum:" apud Othomitos etiàm superlativum nomen, ex *tza*, *tse* multum, summum, antepositione formatur: *nhò*, *bonus; tza nhò*, optimus.

20. Ibid. sect. 119. "Les trois pronoms de la première personne, les plus usités anciennement, sont *Ngò*, *Ngoû*, *iù*." Triplex etiàm pro primâ personâ, Othomiticæ linguæ pronomen: *nga*, *nga-nga*, *ngwi*. (Vide not. H.)

21. Ibid. sect. 120, "Pour éviter le pronom de la première personne, on se sert quelquefois de son petit nom;" Othomitis etiàm, pronominis loco, humili utuntur nomine, si ad superiorem; autoritatis, si ad inferiorem; amicitiæ et benevolentiæ, si ad æqualem loquantur: ut, *ni betè bi ye wi*. *Ni*, tuus; *betè*, servitii factor, id est serviens; *bi*, ille, *ye*, obediet; *wi*, tibi; quæ omnia hæc significant: ego obediam tibi. *Ni tha i e wi*, tuus pater præcipit tibi; pro, ego præcipio tibi: *Ni be i mā wi*, tuus amicus amat te; id est, ego amo te. (Vide not. I.) Quem loquendi modum et Mexicani aliique Indi, Mexicanas habitantes terras habuerunt servantque: nec mirum; antiquis mos ille populis, ut Hebræis, fuit. (Vide not. H.)

22. Ibid. sect. 126—129. "Les pronoms de la seconde personne ne sont guère plus fréquemment usités que ceux de la première. Ceux qu' on trouve ordinairement dans les livres sont *eùl*, *joù*, *jo*, *tseù*; dans la langue moderne *ni* (sect. 317, p. 119)." Ab Othomitis secundæ personæ pronomen hujusmodi exprimitur: *hu*, vel *wi*, tu; *n-wi*, *nui*, *wi*, tu; nec major apud Indos, cùm ad superiores loquuntur, quàm apud Sinenses usus.

23. Ibid. sect. 132, "Le pronom de la troisième personne s' exprime par *khi*, *i*, ou *kiouei*, et *tchi*." Hoc in veteri sinâ; in novo verò, (Sect. 321, p. 122.) "Le pronom de la troisième personne est *thâ*."

Tertium Othomi pronomen est *nu*, *ni*, *wi*, vel *i*. *Bi* et *wi*, ille, et illi et illum significant.

24. Ibid. sect. 321, page 122. "Le pluriel se marque en ajoutant, après le pronom personnel ou l' appellatif qui en tient lieu, l' un de ces mots, *mên*, *mèi*, quilibet; *péi*, ordo; *ngò* ego; *ngò mên* nos:" quod de recenti Sinensi linguâ intelligi oportet, nàm in veteri, nil simile nobis apparet. Pluralis pronominum numerus ità apud Othomitos fit: primæ personæ additur *he*, ut *nga*, ego; *nga he*, nos: secundæ tertiæque personæ pronomen, si bis repetatur, pronomina pluralia habebimus. *N-we*, tu; *N-wewe*, vos; *hu*, tu; *n-wehu*, vos; *wi* tu; *nui* tu, *nuiwi* vos; *nu* ille; *ni* ille; *nuni* illi; *wi* ille; *nuwi*, illi. Aliquandò verò, quod illis singulare, id plurale.

25. Sinensis lingua possessiva pronomina non habet; Othomiti verò illis non carent: *ma* meus, *ni*, tuus, *na* suus. Quinta hic differentia inter illos habemus sermones.

26. Ibid. sect. 145. "Le pronom conjonctif, sujet de la proposition incidente, se rend par la particule *tchè*, placée à la fin de cette dernière." In Othomi verò *ta* vel *we*, antè incidentem posita, relativa pronomina sunt. Hic sexta (minima quidem) notanda est differentia.

27. Ibid. sect. 151. "Les verbes que les Chinois nomment *hŏ tseú* sont, comme les substantifs, de deux sortes; les uns toujours verbes par eux mêmes, et les autres alternativement verbes, noms abstraits, adjectifs, ou même particules, suivant la place qu' ils occupent dans la phrase, et les marques de rapports, qui peuvent s' y trouver attachées." Etiàm in linguâ Othomiticâ quædam verba suâ ex naturâ verba sunt, ut *te*, senire; *mā*, amare; alia verò et nomina substantiva et adjectiva, et verba et adverbia sunt: ut *nhò* bonus, *nhò* bonitas, *nhò* benè, *nhò* bonus esse. (Vide not. E.) Sed, non ex positione, sed ex particulis, in Othomi distinctio facienda; *na nhò*, bonitas; *sa nhò* bonus; *di nhò* bonus sum; *nhò*, benè: etiàm aliquando ex sensu vel positione, eorum natura cognoscenda; ut *ma nhò*, mea bonitas: *nu nhò ye* ille bonus homo: *di bùy nhò*, ego vivo benè. Undè neque hâc viâ tàm longè à Sinensi, Othomitus sermo est. Minùs enim erit, si animo illud advertimus, quod in recentiori Sinensi linguâ:

28. Ibid. sect. 302, page 113. "Les adjectifs (in novâ linguâ Sinensi) sont souvent accompagnés de la particule *ti*." Sic in Othomi

particula *sa*, aliaque conjunguntur. Ac præter dicta illa, ut in novo Sinâ ait Remusat, page 136, 137, esse signa temporum, et sic est in linguâ Othomitorum; hoc tamen discrimine, quod hæc in Sinâ tempus solùm, in Othomi et tempus et personam indicant; (Vide not. C.); quod cùm Othomitæ linguæ, suâ ex naturâ, minimè convenit, sed ab alienâ, ut jàm vidimus, probabilitèr ortum est. Septima hæc inter utrosque sermones differentiam adnotari meretur.

29. Ibid. 152, 153. "On a coutume de faire l' ellipse du verbe substantif, toutes les fois qu'il s' agit seulement d' attribuer une qualité à un sujet. Quand il s' agit d' attribuer plus positivement à un sujet une qualité qui emporte l'idée d' une action, on se sert du mot *wéi* qui peut se rendre par *être.*" Hæc in Sinâ; in Othomi, duplici illo casu, triplicitèr fit; aut ellipsi oratio afficitur, ut *nga mêti*, ego dominus divitiarum; id est, ego sum dives; aut adjectivum particulis ad verbum transit, ut *di* vel *ga mêti;* aut *we* particulâ utitur; hoc raró, tamen, *nga we mêti.*

30. Ibid. sect. 169. "L' adjectif verbal actif se forme par l'addition de *tchè.*" Sic apud Sinas; apud Othomitos per *tè* additionem, ut non semel dictum est.

31. Ibid. sect. 170. Particula *khò* verba sinica passiva facit; quod verborum genus Othomiti non habent. Octava et hæc inter eas linguas enumeranda differentia.

32. Ibid. sect. 174. "Il y a des mots Chinois qui ont par eux mêmes le sens adverbial, soit qu' ils marquent des circonstances de temps ou de lieu." Et id Othomitica habet. (Vide not. K.)

33. Ibid. sect. 176. "On forme à volonté des adverbes, en ajoutant aux adjectifs ou aux verbes la particule *jân*, qui signifie *ainsi.*" Omnia adjectiva apud Othomitos, adverbia sunt, cum loquenti placet: cognoscunturque in oratione, sive eorum ex positione, sive ex *thò*, (omne) nominis additione.

34. Ibid. sect. 177. "Comme les adjectifs et les autres noms attributifs se placent ordinairement avant le sujet auquel ils tiennent lieu de qualificatifs, de même les verbes et les expressions simples ou composées, modificatives ou circonstantielles, ont coutume de précéder le verbe dont ils spécifient l' action. Cette observation fait voir comment des substantifs ou des verbes peuvent être pris adverbialement, d'après

la place qu' ils occupent dans une phrase, et sans qu' il soit besoin d' aucun signe particulier." Quid simile Othomi habet: *homo benè loquitur;* ita reddi potest hæc oratio: *ye hia nhò; ye*, homo; *hia*, loquitur; *nhò*, benè, aut bonum: *ye nhò hia; ye*, homo; *nhò*, bonus; *hia*, loquitur: homo bonus est (dùm) loquitur. Sed frequentiùs adverbium, verbum modificans illi postponitur, ut primo viditur in exemplo.

35. Ibid. sect. 179. "Les prépositions proprement dites veulent en général être placées immédiatement avant leur complément." Hoc ipsissimum in Othomi evenit.

36. Utraque earum lingua conjunctivis eodem utitur modo.

37. Ibid. sect. 371. "Les interjections les plus usitées sont au commencement de la phrase." Hoc in Sinico recentiore; et illo etiam in loco in Othomi collocantur interjectiones.

38. Ibid. sect. 284, page 107. De recentiore linguâ iterùm, Remusatius dicit: "Pour obvier aux inconvéniens qui resulteraient, dans la langue parlée, de la multiplicité des termes homophones, et des mots qui peuvent être pris comme verbes ou comme substantifs, on y fait fréquemment usage de mots composés, lesquels sont formés d'après divers procédés. Les plus communs sont formés de la réunion de deux termes synonymes, dont l' un n' ajoute rien au sens de l'autre, mais sert seulement à le déterminer, parce que l' équivoque, possible à l' égard de chacun d' eux en particulier, ne l' est pas à l' égard du mot dissyllabique qui resulte de leur groupement."

Hoc etiàm apud Othomitos componendi artificium invenitur; ità tamen, ut non nisi cùm dubii et æquivoci periculum est; itaque si dixero *di ne de*, impossibile est ut quo ego indigeam intelligatur. *De* enim, et aquam, et ovum, et vestem significat. *Di ne* opto; *de*, et aquam, et ova, et vestem? Hac de causâ, dicitur, *dehe; he* frigus, et frigidum significat; *ye* longus, *deye* vestis est; et ità ferè omnia nomina: sed inter Othomitos secundum nomen, non nisi quandò equivocum fieri potest pronuntiatur. Itaque non dicam *di tsi dehe* ego bibo aquam, sed solùm *di tsi de*, quia nec ova, nec vestem bibere possum.

En quidem totius hujus Indianæ linguæ inextricabilem labyrinthum, à quo vix sese liberare potuerunt qui de hujus linguæ grammaticâ instituêre. Hoc tamen intellecto, facillima illa, et pulchra etiàm apparet,

lingua, et ab antiquis Mexicanis, et à novis, tamquam barbara despecta, ab exteris ignorata, aut incognita.

39. Quem quidem ad modum nomina componuntur, ità etiàm verba, utrâque in linguâ composita sunt: Sic Remusatius de recentiori linguâ Sinensium, sect. 343 p. 130, loquitur: "On réunit fréquemment ensemble deux verbes synonymes ou très analogues dans leur signification, comme cela a lieu pour les substantifs, et par le même motif." Ità apud Othomitos etiàm fieri ex primâ parte hujus operis vidimus; hæc tamen cognoscenda differentia, quod à quibusdam Othomitis, hoc solùm ad imperativum formandum præstatur, ab aliis omnibus id temporibus servatur. Quare, et ipsi scriptores eum sequuntur usum, quem apud diversos Indorum pagos invenerunt. Andreas Olmas,* qui religionis elementa in Othomi, sæculo decimo sexto, explanavit, dissyllabicis loquitur verbis; Ludovicus de Neve et Molina,† unicâ ea syllabâ conjugabat; Yepes,‡ priusque illo Ramirez,§ eos audierunt Indos, qui magistrum habuerunt, eumque Andreas Olmas. Itaque, quidam Indi dicunt, *di mādi*, ego amo: alii vero *di mā: mā* enim amare, et *di* exequi, est. Mirum quidem, tamen certum; in Othomi et veteris et novi Sinensis vestigia inveniuntur. (Vide not. T.)

40. Præter ea, in novo Sinensi imperativo nulla particula est, et id etiam in Othomi.

41. Ibid. sect. 358. "L'impératif quand on parle à des inférieurs s' exprime en mettant le pronom de la deuxième personne avant le verbe;" in Othomi tamen, licet eadem sit, hæc verbi forma, pronomen aut anteà aut posteà ponitur.

42. Ibid. sect. 359. "Par urbanité on fait ordinairement précéder l' impératif du mot *thsing* qui signifie prier, inviter." Othomiti imperativo verbum *sa*, placeat, vel *da* concede, anteponunt.

* Oraciones y Doctrina Cristiana, en Lengua Otomi. Mexico 15—. Hoc opus in Bibliothecis civitatis Philadelphiæ non invenitur.

† Reglas de Orthographia, Diccionario y Arte del Idioma Othomi; breve instruccion para los principiantes, que dictò el L. D. Luis de Neve y Molina, Catedratico, &c. Mexico, 1767. In Bibliothecâ Societatis Philosophicæ Americanæ.

‡ Catecismo y Declaracion de la Doctrina Cristiana en lengua Otomi, compuesto por el R. P. Fr. Joaquin Lopez Yepes, Predicador apostolico, &c, Megico, 1826. In Bibliothecâ Dni Duponceau.

§ Ramirezii opus Philadelphiæ non invenitur.

43. Ibid. sect. 367, p. 141. " On fait fréquement usage (in novo Sinâ), d'adverbes composés, soit de la répétition d' un même mot, soit du groupement de deux verbes synonymes." Id ipsissimum apud Othomitos contingit. (Vide not. K.)

Nil momenti hâc de re omissum credo; ferè quidem totum Remusatii opus doctissimæ societatis ob oculos posui. Octo solùm ex capitibus hæ duæ linguæ discordant; in aliis plerùmque concordes esse videntur. De numeris nil diximus, quia nulla inter utriusque linguæ numeralia nomina existit affinitas in sonis (Vide not. L.) Quod evidentèr probat Othomitos illa nec à Mexicanis, nec à Huastecis accepisse. Quid hoc sibi vult ignoro ego, et ingenuè fateor; fortassè cùm aliâ dissertatione, de hujus linguæ historiâ agam, conjecturis investigare aliquid licebit.

Sed fortassè quærendum est, utrùm nulla in utriusque linguæ verbis, ut in grammaticæ formis, et linguarum naturâ cognatio? De hoc judicent alii; præsertìm quia linguæ Sinensis vera pronuntiatio nunquàm meas pervenit ad aures; aliqua tamen verba vobis offero, ex Remusatii grammaticâ fidelitèr extracta, quæ cum analogis verbis Othomiticis juxtà positis, comparare poteritis; quod difficillimè fiet ignotis vocalium sonis, qui litteris exprimi nequeunt; accentus, aliaque signa paulùm adjuvant. Qui voces Sinarum Othomitorumque non audierunt, haud facilè de similitudine inter sonos earum judicare possunt. *Ou* Gallicum hìc stat in Othomi pro *u* Hispanico.

Sinicè.	*Othomiticè.*	*Latinè.*
Cho	To	Qui.
Y	N-y	Plaga.
Teou	Gou, Mou	Caput.
Siao	Soui	Nox.
Tien	Tsi	Dens.
Ye	Yo	Lucidum.
Ky	Hy	Felicitas.
Kou	Dou	Mors.
Po	Yo	Non, ne
Na	Ta	Masculus.
Niu	Nsou	Femina.

Sinicè.	*Othomiticè.*	*Latinè.*
Tseu	Tsi, Ti	Filius.
Tso	Tsa	Perficere.
Touan	Khouani	Verus, verè.
Siao	Sa	Irridere.
Pa	Da	Dare.
Tsoun	Nsou	Honor.
Hou	Hmou	Dominus.
Na	Na	Ille, a.
Hu	He	Frigidus, frigus.
Mian	Hmi	Vultus.
Kouei	Ekhoua, Koua	Diabolus.
Kou	Ko	Vetus.
Si	I	Dolere.
Y, Medicus	I	Medicina.
	Te i medicinæ factor	Medicus.
Kian	Hia	Videre.
Kou	Mou	Dominus.
Ye	He	Et.
Hoa	Hia	Sermo.
Man	Ma	Plenus.
Kho	Nho	Dignus.
Khi	Stsi	Comedere.
Tsoui	Tsi	Ebrietas.
Jin	Ye	Homo.
Ka	Rsa	Audere.
Ngo	Nga	Ego.
Ni	Ni	Tu.
Tha	Na	Ille.
Ti	Te	Quod, quid?
Ti	Toa	Qui, quæ.
Te	Tsa	Posse.
Lou	You	Iter.
Sie	Tsi	Paucus.
Khiu, Lai	Ehe, yehe	Venire.
Hao	Nho	Bonus.

Sinicè.	*Othomiticè.*	*Latinè.*
I	Moui	Animus.
Ta	Da	Magnus.
Li	Ti	Lucrum.
Pa	Pa	Capere.
Pa	Da, ma, na	Dimidius.
Ho	To	Quis.
Mai	Ma	Emere.
Pa	Pa	Desinere.
Mou, Mo	Me	Mater.

Qualis ille Othomitorum populus, ex ejus linguâ, aliâ dissertatione, Deo volente, unà mecum judicabitis. Nunc verò, ut quanti philologia sit facienda magis ac magis cognoscatur, pauca de illo dicenda. Deum Optimum, Maximum, sublimi nomine appellabant. *Okha* nempè; *O*, recordari, et *kha*, sanctus, divinus. *O* etiam apud eos, præsenti tempore, aliquid cognoscere significat. Si illud nomen non tàm magnificum ut quo Tarasci Deum cognoscebant, nempè *Avanda* (Ratio personificata), sine dubio tamen, et Mexicano *Teotl* (princeps, excelsus), et Quichuano *Capac* (dives) sublimius est. Licet cœli nomine, non felicitatis locum, ut *Ilhuicac* Mexicanorum, nec rationis domum, ut *Avandaro* Tarascarum, intelligant, tamen *Mahètsi* (latitudo, et extensio in circùm), illud vocant; nàm hominem immortalem credebant. Nullus enim, quod sciam ego, ex Indorum Mexicanas habitantibus terras, populus, qui hanc doctrinam, humanitatis solatium, virtutis adjutricem, criminisque extirpatricem et terrorem, pro religione non haberet. O! eum virum philosophiæ amantem beatum, cùm generis humani traditionem hanc ille, hic et ubique terrarum diffusam invenit! Othomi enim, *sudi*, nempè mortuorum umbras vel manes, religionibus, ut Huasteci *elot* suos, placabant. Nil tàm solemne Othomitis quam commercium inter cœlum et terram credere. Illi enim et incantatores venerabant, eosque *Yĕkha*, manus sacra (potestas superior) appellabant. Illis, idem sapiens qui Magus; undè uno utrosque nomine *Bădi* cognoscunt, quod et Huastecis commune, quibus *Huitom* et sapiens et Magus est. Cujus in memoriam non et eadem multorum Asiæ populorum consue-

tudo venit, et cùm *extensionem* cœlum vocare audit, non sublimem illius canentis sententiam "extendit cœlos sicut pellem" recordatur?

Præthereà, Othomiti Diabolum, mali principium auctoremque habebant; eum *ē*, (maleficum) dicebant; nescio adhùc tamen, utrùm illi, ejus ministros, quive illi fuerint, ut Mexicani, qui Bubones (*Tecolotl*), Bubonum duces, *Hacalecolotl*, i. e. Diaboli, hominum generi quod voluntatem pessimam, infensam, interpretes significare adjudicarunt, pertimerent.

Nulla usque ad præsens, in Othomitorum linguâ vestigia, ut cognoscamus, utrùm Indi isti cœlum terramque animatos, ut Mexicani, cogitabant; neque illud invenire possumus, an ut Tarasci Huastecique, Astra, Laresve, quod eorum ex linguis, licet id historia ignoret scimus, adorarent. Othomiti enim Solem, *Hiadi*, (lucescere, lux), dicebant; diem *Hiatzi*, (lux paulatim veniens); stellas verò *tze* (fulgentia corpora) et lunam *rzana* (corpus rotundum in dimidias partes divisibile), et istius cursû menses numerabant.

Populus ille numerabilis, quia parvus erat; ut de alio Horatius cecinit, eorum ex paucis sunt, qui non sese matrimonii fœdere cum aliis Indorum, Hispanorumve, vel Africanorum nationibus miscuerunt. Eorum paupertas, miseria et ignorantia, non minores quam abhinc tribus sæculis fuerunt; eorum lingua, sine dubio, ad multa de iis est illis in causâ. Faxit D. O. M. ut illi meliora habeant!

Olìm quidem, eos qui ad Deum è medio tollendum ad barbarorum testimonium appellabant, ad barbaros, irrisionis ergò, Ludovicus Racine, poëta Gallicus, relegabat. Viveret nunc, et philologia eum, miris de rebus quæ inter barbaros invenire ac detegere potuit, docuisset, certè, barbarorum judicium iste non recusasset, illique ab eo damnati ex tunc non fuissent. Sapienter Verulamius, scientias omnes germanas sororesque, et ab uno omnes illas arbore ramos pronuntiavit, et hoc philologia satìs probat.

Appendix.

Licet ulteriùs et temporis et operis, de Othomiticæ linguæ scriptorum historiâ instituere mihi sit in animo; quædam, tamen, non multa quidem, nunc temporis consideranda sunt.

Atque in primis, ut meliùs quod à me scriptum est, judicari, examinarique possit, ea animadvertenda sunt. Verba quæ duplicem syllabam habent, quibusdam Othomitis ab Indis, duplici syllabâ conjugari, ut nunc fit in Tzecu, et videre est in Joachimi Yepes opere; ab aliis verò, ut Xilotepec degentibus, unâ tantùm syllabâ, excepto imperativo, conjugari, quod Ludovicus de Neve y Molina docet: deindè Lexica illa ità multa nomina scripsisse, ut quæ, cùm monosyllabica sint, dissyllabica appareant, quia ex nomine et particulâ unum nomen coalescunt et formant, ut ex *sa*, vel *xa*, adjectivi signum, et *nhò* adjectivum nomen, *bonum* significans, *sanhò* vel *xanhò* effecerunt. Et hâc de causâ, dicunt illi scriptores, multa in verbis aut nominibus, aut elici aut supprimi, per syncopen, aliasque figuras.

Deindè, illud evenit, ut ità Othomitam Grammaticam explanarent, ut qui vellent omnia per Nebricenses linguæ Latinæ institutiones docere. Quid mirum? An non idem in suâ de Sinensi linguâ grammaticâ Pater Varo effecit? Sed, possibile ne est, ut monosyllabicam illam Othomitorum linguam esse, illos scriptores fugisse? Ità fuit ut multos de Sinensi scriptores, mandarinum inter et vulgarem sermonem distinguere fugit; primus enim qui distinctionem illam animadvertit, Pater Prémare fuit. Non enim antiqua tempora nostris judicanda sunt. Quare, adhùc genuina veraque Othomiticæ linguæ grammatica desideratur. Faxit enim D. O. M. ut in alicujus Mexicani mentem voluntatemque veniat, ut opus illud aggrediatur! Facilè, optimèque ille sese expediet, si Sinensis Remusatii grammatices vestigiis adhæreat. Multi enim, ex meis concivibus, ad id et ad alia etiàm majora apti, capaces que sunt. Nec enim nobis desunt viri qui Confucium legunt, intelligunt que, neque illa Mexicanorum ignorantia tanta est, ut quidam, qui Mexicum neque geographicis chartis viderunt, prætendere audent, et quidam Mexicani degeneres, (pudet id!) venditant. Quo id consilio, nescio, illi scient; fortassè, id volunt dicere quod Pharisæus

prædicabat: "Non sum sicut cæteri homines." Eheu! quanta meæ miserrimæ patriæ infelicitas! Tempus tamen erit, cùm magna illa natio vocabitur habebiturque.

Cùm enim illa ità se habeant, mirum non est de Othomiticâ linguâ scriptores, sapientes multos fefellisse. Quo enim modo isti viri rectè de linguâ judicare possent? Hâc de causâ et Abel Remusat illud statuit, omnes linguas scripturam non habentes, in mutationes, compositiones, derivata que affluentes et abundantes esse; Petrusque Duponceau, in hâc Septentrionali Republicâ Americanâ, Indianæ litteraturæ pater, meusque magister, omnes Indianas linguas polysyntheticas pronuntiavit. Abel Remusat, Petrusque Duponceau; qui illi viri, Deus optime! Quis enim illos, nostræ ætatis ornamenta, litterarumque columina, ignorantiæ accusare audeat? Illi quod scripserunt alii judicarunt; quod illi scribere debuissent, divinare humanitùs non potuerunt.

Quod eò quidem tendit, ut nemo me, sex lustris natum, litterarumque tyronem, impudentem audacemque habeat, illud agitans, me ut illis meis magistris, (utinàm eos ità appellare non demerear!) contradicam, scripsisse. Hoc enim et mihi et meo Mexico debeo. Præterea veritati, gratitudini, et illius debitor sum, ut animadvertam et Petrum Duponceau viam mihi ad hoc scribendum indigitasse, et librorum et magistraturæ copiam fecisse, ac ipsum tandem, ipsissimum, Societati Philosophicæ Americanæ meum utcunque opusculum, luci mandandum commendasse. Nescio enim, utrùm senex ille, quinque suprà septuaginta annos natus, suâ scientiâ, aut suâ hâc bonâ fide major appareat. Hoc quidem illi solùm faciunt qui veritatem quærunt et amant.

Ut meliùs intelligatur natura, structuraque istius linguæ Othomiticæ, Anacreontis Oden undecimam, in illam vertere ac scholiis illustrare tentavi; quæ versio invenietur in annotationibus, sub literâ M, quâ cum fiet conclusio hujus operis.

Annotanda.

A.

In hâc annotatione, quædam homophona, vel ferè homophona verba, exempli gratiâ adhibentur.

Vocalium litterarum nasalem sonum hoc signo (–) designabimus; gutturalem illo (ˋ): protractum, qui dicitur ovillum et solùm ad litteram *e* pertinet, illo (ˆ). *O* longum aliquandò signo *ò*, vel Gallico modo litteris *eau*, (ut *nheau* vel *nhò*, bonus) notatur. Soni naturales signis non indigent. Cæteri verò nec litteris, nec signis, nec ullo quidem modo oculorum operâ, auribus eorum qui hanc linguam non audiêre, præstari possunt.

A.

A meta; scopum attingere.
A (à) respirare; vigilare; à somno revocare.
A (ā) dormire; profundus; profunditas; fovea.

B.

Ba uti; usus; mamilla; uber; lac.
Bà gignere; genitus; filius; cognatus (Gallicè *parent*, Anglicè *relation*); vendere.
Bā scire.
Bay stare; morare; vivere; arbor.
Be furari; fur; à viâ rectâ deflectere.
Bè tela.
Bê agnatio; cognatus.
Bi timere; tremor.
Bì sub; infrà.
Bu insufflare.
Bùy habitare.

D.

Da magnus; decoctum; digerere.
Dà semen; maturari; maturus; robustus; appositus.
Dā oculus; dux; unire.
De ovum; aqua; vestis; operire.
Dè ardere; senire; jugum; accensus.
Dē facere.
Do sine; carere; lapis.
Du *vel* tu mori.

G.

Gà ego, me, mihi.
Go Dominus; Domina; go thà, Domine Pater.

H.

Hæc littera semper gutturalis ut *x* et *j* Hispanum, et *ch* Germanorum antè *a* et *o*.
Ha tollere; portare; debitum.
Hā et; prohibere.
Hày terra.
He vestis; aqua; speculum.
Hè glacies; gelidum; frigus; frigidus.
Hê mons; fingere; fictor.
Hèy ludere; excavare; veneri operam dare.
Hi sonare; ordiri; texere.
Hī aliquid.
Hia inquirere; sermo; aspirare; lux.
Hiā cuniculus.
Hiaê turpis; spectare; pandiculari.
Hie speculum.
Hiè antè; suprà.
Hin non.
Hing facilis.
Hio latus; decipi; occidere.
Hmi facies.
Hmu Dominus.
Ho blandire; occidere.
Hog dulcis; honestus; probus; nobilis actionibus (Anglicè *gentleman;* Gallicè *homme comme il faut*).

Hu nomen; nominare; clibanus; fornax.
Hù uti.
Hua ala.
Hùa piscis.
Huy stabilire; ponere; accedere.

I.

I venerabilis; dexter, a, um.
I (ì) dolor.

K.

Ka sese inclinare; gignere; laborare; uti; exercere.
Kay cubare; lectum petere.
Ke, ki, khi venerabilis. *Thà khy* vel *Thà-y*, Pater (venerande Pater).
Kha aecipere; adesse; in; apud; habere; evenire, accadere; arripere.
Kho colligere; possidere.
Khò abesse.
Khu manu prehendere.
Ki venerabilis; removere.
Kè me; mihi; tollere; plumas evellere; excoriare.
Ko strepitum facere; sonare; cadere; imago.
Koy repræsentare.
Ku levis.
Kuo (monos.) ira; irasci; iratus; via, (cujusque rei spatium quo alia induci potest.)
Kuy (monos.) sapere; sapor; aliquid facere; currere.

M.

Ma emere; vendere; dic; portare, afferre, latus, a, um; excellens; multus, a, um; præteritus; *Ma he*, mei, æ, a, in plurali numero; *he* significat *nos;* itaque sensus est *meus nos;* ut *ma thà he*, mi pater nos; i. e. pater noster.
Ma idem ac *na*, articulus nomen substantivum designans. Quibusdam in locis *ma;* in aliis *na* dicitur. *Ma* vel *na* etiam significat medius, a, um.
Mà displicere; fastidiri; repleri; plenus.
Mài palmex; tradux.
Me non coctus, a, um.
Mè durus, a, um.
Mē mater.
Mê spissare; densare; cujusque rei dominus; *mê ngu*, habitator domus.
Mi facies; sedere; requiescere; proper; unus post alterum successivè.
Mì nasci; summus, a, um; cujusque rei extremum.
Mia (monos.) lectus; grabatus.
Mo curvus; flectus; flectere.
Mu avunculus; levis.
Mùy (monos.) cor; anima; animi indoles; nudus, a, um.

N.

Na unus, a, um; ille, a, ud; articuli vices gerit.
Na *et* ra unus, a, um.
Na *et* ma medius, a, um.
Naê (monos.) insulsus; inconditus.
Này (monos.) jacere.
Nbò intus.
Ndò os, ossis; grando, inis.
Ndu ardere.
Ne acies.
Nè os, oris; ambulare; movere.
Nê montis radix.
Neā (monos.) qualis, e.
Nêy (monos.) saltare; saltator.
Nga* spica; spicos colligere.
Ngà suavis; remissus.
Ngā *vel* ngāgā *vel* ngwi Ego
Ngò festivus.
Ngu spica; domus; mus; ut; secundùm; juxtà.
Ngwê *vel simplicitèr* ê caro.
Nhāg infrà; post.
Nhê cunabula.
Nhey difficilis.
Nhêy profundus.
Nhi lavare se ipsum; balneum accipere; vestiri.
Nhie speculum, scilicet *hie* cum articulo *na* præfixo.

* Potiùs quam littera sonus hic *ng* putandum est intonatio, et sic scribi posset 'a, 'e, 'i 'o 'u.

Nhiu gravis.
Nhò bonus; pulcher; aptus; perfectus; justus; urbanus, aliaque innumera, ut suprà dixi. Hoc verbum hìc aliquando scribitur *nheau*, orthographiæ Gallicæ quam in inceptu hujus operis eligebam, et maximè sequutus sum gratiâ. Observandum est tamen quod *u* et *eu*, sonos linguæ Gallicæ in hâc linguâ non inveniuntur. Ergò littera *u* semper Italico vel Hispanico more pronuntiari debet, *ai* et *ay*, semper duplici sono, *aï*.
Nkhū amare.
Npa calefacere.
Nrsài assuescere; evenire; aptus, a, um.
Nsā *ac* Niā fœtidus; corruptus.
Nsu (monos.) fœmina; fœmineum; nox esse.
Nsù nutrix.
Nsū, virgo; virginitas; honor; verecundia.
Nsuy (monos.) nox.
Nto vagina; operire.
Ntsāy (monos.) platea.
Ntso malus; turpis; fœdus; deformis.
Ntù os, oris.
Nu videre.
Nua (monos.) iste, a, ud.
Nùa (monos.) annuntiare; novitas; novus.
Nūy (monos.) tu.
N Hispanicum, quod scribitur ñ, et ut *gn* Italicum et Gallicum sonat.
Na (ña) loqui; exaggerare.
Nà (ñà) crudelis; absconditus etiam particula negativa, quasi *in* apud Latinos, ut bādi, sapiens; ñabādi, ignorans, non sapiens.
Nā (ñā) caput.
Nêy (ñêy) medicus.
Nu (ñu) plenus; iter; via.

O.

O inimicus; recordari; recordatio.
O camera; cubiculum.

P.

Pa vendere; notare; sapor; dies; quodcunque temporis spatium.
Pà febris.
Pe exerceri; texere.
Pê pellucere.
P'he furari, fur.
P'hê gubernare; gubernator.
P'ho sordidus; scire; cognoscere.
Pong curvus; arctus; angustus.

R.

Ra æqualis; similis.
Rè columna.
Rsa asseverare; obtinere; sanare; assuescere; periculum facere.
Rsa lignum.
Rsè carere.
Rsê ardere; accendi; ignem facere; adorare.
Rsi manducare.
Rū dulcis.

S.

Sa unguis; manè; madefactus; humiditas; protegere; objurgare; extrahere; aquam haurire.
Sā benevolus; benevolentia.
Say terminare, finire.
Se frustum.
Sē pars; frustum.
Sê deformis; non pulcher; auctus; impetus. Aliquandò præpositio, quæ antè illius nomen vel descriptionem, cui utilitas vel damnum est, ponitur; *Mahêntsi sê nhò*, cœlum justis.
Sey foramen; aperire; excavare.
Si planus; color; crusta; folium; extendere; cutis; etiàm particula interrogativa, ne, numquid?
Si clamare; clamor.
So latus, extensus.
Stà capillus.

T.

Ta albus; masculus.
Tāi emere.
Tchi humerus.
Te quis? quid? ut? quomodo?
Tè vivus; creare; facere.

Tê crescere; altus; nobilis.
Tes aliquis; aliquid.
Têi pascua; palea.
Thà pater.
Thāi debere; pharetra.
Ti ebrius, bibere usque ad ebrietatem; offuscare; confundere.
To herba; virga; tegmen.
Toò qui, quæ, quod. Si relativum rationalis rei nomen repræsentet, melius est uti pronomine *wê*, quod vide.
Tsa merè; propriè; sanare; salutem habere; cuspis; intùs; interior; acutus; divisus.
Tsà *vel* Tse multum.
Tsà placere.
Tse planta; multum.
Tsè frigus; frigidus.
Tsê redire.
Tsi *vel* Ti parvus; germen novum, surculus; dens; cujusque rei extrema pars; concio; in concionem vocare, edere.
Tsī minuere aliquid; stridere.
Tso parvi pendere; sese præcipitem dare; profundere.
Tsu timere; timor; succum extrahere.
Tū *vel* Dū mori.
Tù horreum.

U.

U sal; nunc.

W.

Wa piscis; hìc (adv.)
Wae perdere; amittere.
Wày descendere.
We avunculus; viscus, eris.
We, weā æqualis.
Wè tu.
Wê qui, quæ.
Wey præparare.
Wi tu; simul.

Y.

Ya hepar; plaga; ulcus; pus.
Yā virga; aperire; viam in montibus facere arbores secando.
Yai irrigare; aquam profundere.
Ye operam dare; pluvia.
Yé viridere; homo; malitia; perversitas; exsiccari.
Yê manus; admirare; stupefieri.
Yo non, ne (vetantis); ut *Yo êdê,* cave ne audias.
Yo lumen; extendere; inferior; grex; agnus; lana; tegere; ambulare.
Yù rugire; radix; via; iter facere; res.

Z.

Za rotundus; rotunditas; arcus; arcum ædificare.
Zà lignum; ligna secare.
Ze parvus.
Zo cadere.
Ztsa posse.
Ztsi seligere; bibere.
Ztso *vel* Ztsa experiri.

B.

VERBORUM COMPOSITIO.

Dàmē	Dà, *maturus*	Mē, *mater*	Vir, maritus.
Dànsū	Dà, *maturus*	Nsū, *fœmina*	Mulier, uxor.
Tinsū, vel Tzinsū	Ti, vel. Tzi, *surculus*	Nsū, *fœmina*	Filia.
Bàtzi	Bà, *genitus*	Tzi, *surculus*	Filius.
Sithà	Si, *cortex*	Thà, *pater*	Avus.
Mêti	Mê, *dominus*	Ti, *divitia*	Dives.

Tasi	Ta, *alba*	Si, *superficies*	Argentum.
Kasti	Ka, *flava*	Sti, *superficies*	Aurum.
Hētsi	Hē, *distensum*	Tsi, *in circùm*	Circumdans.
Mahētsi	Ma, *latum*	Hētsi, *circùm distensum*	Cœlum.
Sāhi	Sā, *benevolens*	Hi, *interior*	Amica (in malam partem).
Hogkhai	Hog, *dulcis*	Khai, *gens*	Homo bonæ indolis.
Sikei	Si, *pellis*	Kei, *corpus*	Cutis.
Mohe	Mo, *terræ præruptum*	He, *aqua*	Lacus.
Dahe	Da, *multa*	He, *aqua*	Flumen.
Ehmi	E (ē), *iratus*	Hmi, *facies*	Inurbanus homo.
Yohmi	Yo, *duplex*	Hmi, *facies*	Perfidus.
Meti	Me, *carens*	Ti, *bonum, divitiæ*	Mendicus.
Ethò	E (ē), *perfectum*	Thò, *omne*	Pulcherrimus.
Sine	Si, *folium*	Ne, *os*	Labia.
Kuane	Kua, *apud*	Ne, *os*	Lîngua.
Yuhe	Yu, *via*	He, *aqua*	Aquæ ductus.
Nehia	Ne, *os*	Hia, *verbum*	Loquax.
Pche	Pe, *scaturire*	He, *aqua*	Fons.
Datsū	Da, *floridus*	Tsū, *fœmina*	Puella.
Hêmē	Hê, *fingere*	Mē, *mater*	Matertera.
P'hoyê	P'ho, *ornare*	Yê, *manus*	Annulus.
Thūgū	Thū, *pendere*	Gū, *auris*	Inauris.
Dodo	Do, *petra*	Do, *petra*	Stultus.
Dogua	Do, *petra*	Gua, *pes*	Claudus.
Gàwi, vel Wàwi	Gà, *strepitus*	Wi, *simul*	Bellum.
Godā	Go, *petra*	Dā, *oculus*	Cæcus.
Hiadi	Hia, *lucere, lux*	Di, *efficere*	Sol.
Hiatsi	Hia, *lucere, lux*	Tsi, *facere*	Dies.
Thūdo	Thū, *occendere*	Do, *lapis*	Cos.
Widā	Wi, *succus*	Dā, *oculus*	Lacrymæ.
Ngêtsi	E (ê), *caro*	Tsi, *dens*	Gingiva.
Ngêde	E (ê), *caro*	De, *operire*	Muliebris cyclas usque ad talos.
Zana	Za, *rotunda*	Na, *dimidia*	Luna.
Razana	Ra, *una*	Zana, *luna*	Mensis.
Sithò	Si, *folium*	Thò, *omne*	Vitrum.

Hâc viâ, omnia nomina composita distingui separarique possunt. Verbalia verò cùm sint, ex imperativi secundâ personâ composita sunt, ut *bādi*, scito; *bādi*, scientia; *bādi*, sapiens; vel verbum cum *tè* facere. De illis in annotatione quæ immediatè sequitur. Alia verò composita sunt, non quod sensum habendum quæratur, sed ad vitanda æquivoca, ut *ye* homo, *he* gignere, *yehe* homo; *de* aqua, *he* frigus, *dehe* aqua; *tsi filius*, *ba* genitus, *batsi* filius, quod quidem aliàs explicabitur.

C.

MODUS CONJUGANDI.

Diversimodè verborum imperativi persona secunda formatur ; aliquandò *tè* verbo, ut in sequentibus nunc conjugandis.

Di tè, *ego facio,*	Tètè, *facere facere,* id est,	Fac.
Gui hê, *tu corrumpis,*	Hêtè, *corrumpere facere,*	Corrumpe.
Y kue, *ille conglutinat,*	Kuetè, *conglutinare facere,*	Conglutina.
Di hê, *nos fingimus,*	Hêtè, *fingere facere,*	Finge.
Gui tza wi, *vos murmuratis,*	Tzatè, *murmurare facere,*	Murmura.
Gui we hū, *vos apponitis,*	Wetè, *apponere facere,*	Appone.
Y te yū, *illi lambunt,*	Tetè, *lambere facere,*	Lambe.

En præsentis temporis artificium. *Di*, *qui*, *y* vel *i*, particulæ, tempus et personam unà indicantes. *Wi* nos; *qui*[*] et *wi* vel *hū* vos, *yū* illi significant. Videtur ergò quomodò hæc verba monosyllaba sunt.

Quædam verba cum verbis *tza*, *tze* imperativum formant. Frequentiùs tamen in *tzi* verbo illud desinit. *Tza* posse et evenire; *tze* efficere et virtutem habere; *tzi* ferre significant.

EXEMPLA EX TEMPORE PRÆTERITO.

Da sāi, *extraxi,*	Sāitza, *extrahere posse,* id est,	Extrahe.
Ga hê, *coxisti,*	Hêtze, *coquere efficere,*	Coque.
Bi ê, *odiit,*	Etza, *odisse evenire,*	Odi.
Da gūe he, *præimus,*	Gūetzi, *præire ferre,*	Præi.
Ga hiū wi, *posuistis,*	Hiūtzi, *ponere ferre,*	Pone.
Ga sa hūn, *evulsistis,*	Satzi, *evellere ferre,*	Evelle.
Bi te yū, *ascenderunt,*	Tetze, *ascendere virtutem habere,*	Ascende.

Da, *ga*, *bi* vel etiam *Xta*, *Xa*, *Sta*, *Sca*, *Sa*, præteriti perfecti particulæ sunt. Sic idea temporis ideæ personæ jungitur.

Alia verba imperativum cum verbis *ni* exigere; *ni* germinare; *hi* intùs esse; *hi* introire, componunt.

EXEMPLA EX PLUSQUAM PERFECTO.

Sta hiū hmā, *fragraveram,*	Yuni, *fragrare germinare,*	Fragra.
Sta yê hmā, *curaveras,*	Yêhi, *curare introire,*	Cura.
Sa mê hmā, *meritus erat,*	Mêni, *mereri exigere,*	Merere.
Sta p'hè hmā, *cogitaveramus,*	P'hèni, *cogitare germinare,*	Cogita.
Sca ê hmā wi, *malefeceratis,*	Ehi, *malefacere intùs esse,*	Malefac.
Sca dē hmā hū, *florueratis,*	Dēni, *florere germinare,*	Flore.
Sa cū hmā yū, *gustaverant,*	Cūhi, *gustare intùs esse,*	Gusta.

[*] *Que*, *qui*, semper pronuntiari debent ut *ke*, *ki*.

Sta, sca, sa, hmā plus quam perfecti particulæ sunt, tempus et personam indicantes.
Aliquandò verò, imperativi persona cum verbis *ti* vel *di* formatur, et hic est frequentior usus. *Ti* et *di* expedire, exequi, pervenire significant.

EXEMPLA EX PRÆTERITO IMPERFECTO.

Di ña ma, *promittebam,*	ñati, *promittere exequi,*	Promitte.
Gui hmà hmā, *manifestabas,*	hmàdi, *manifestare exequi,*	Manifesta.
Y nè hmā, *calcabat,*	nêti, *calcare exequi,*	Calca.
Di ā nmā he, *petebamus,*	Adi, *petere exequi,*	Pete.
Gui mā hmā wi, *amabatis,*	Mādi, *amare exequi,*	Ama.
Gui tzū hmā hū, *assequebamini,*	Tzudi, *assequi expedire,*	Assequere.
Y hia hmā yū, *videbant,*	Hiadi, *videre exequi,*	Vide.

Gui, y, di, hmā, præteriti imperfecti particulæ, nil per se significantes.
Quamplurima verba, alio verbo, non multùm dissimili significatione, imperativum componunt; alia etiàm nomine, alia adverbio, aliquandò modum, aliquandò effectum vel causam exprimentibus; sed hæc nomina et adverbia etiàm verba sunt et ut verba reddi possunt.

EXEMPLA EX FUTURO.

Ga sa, *sudabo,*	Sa he, *sudare aqua,*	Suda.
Gui ze, *visitabis,*	Za wa, *visitare hìc,*	Visita.
Da hie, *dimittet,*	Hie wi, *dimittere simul,*	Domitte.
Ga zê he, *ave dicemus,*	Zê gua, *ave dicere pes,**	Saluta.
Gui cā wi, *ædificabitis,*	Cā do, *ædificare petra,*	Ædifica.
Gui zā hū, *volabitis,*	Zā wi, *volare simul,*	Volato.
Ga yà yu, *erunt longè,*	Yà bu, *esse longè ibi,*	Longè esto.

Alia verba in imperativo repetuntur.

EXEMPLA EX FUTURO IMPERFECTO.

Guaxta ne, *voluero,*	Nèè, *velle velle,*	Volîto.
Guasca tè, *feceris,*	Tètè, *facere facere,*	Fac.
Guasa pe, *texerit,*	Pepe, *texere texere,*	Texe.
Guasta he hè, *tussiverimus,*	Hèhè, *tussire tussire,*	Tussi.
Guasca hu wi, *nominaveritis,*	Hu hu, *nominare nominare,*	Nomina.
Guasca tzū hñ, *temueritis,*	Tzūtzū, *timere timere,*	Time.
Guasa tê yu, *tetigerunt,*	Têtê, *tangere tangere,*	Tange.

Alia verba composita ex duobus syllabis sunt, quæ cùm aliquid simile significent, ut idea composita exprimatur, duæ syllabæ unum verbum constituunt; ut *huehia,* respirare; *hue* enim exhalare, et *hia* halitum, et hæc licet videantur non monosyllabica, sunt quidem, ut jàm exposuimus.

* Othomiti Indi, cùm quemque salutant, pedem retrò movent, corpusque inclinatum habent.

ANTIQUA OTHOMITORUM CONJUGANDI FORMA, CUJUS ET VESTIGIA NUNC IN EORUM LINGUA MANET.

Præsens.	*Ni rza*, evenire (nunc temporis).
Præteritum.	*Ma* vel *mi rza*, evenisse (anteà).
Futurum.	*Na rza*, eventurum (in futuro).
Præsens.	*Ni ê*, senire (nunc temporis).
Præteritum.	*Ma* vel *mi ê*, senisse (anteà).
Futurum.	*Nā ê*, seniturus (in futuro).
Imperat.	*Eê*, senito. Plur. *Ewi*, vos senite.

Hoc imperativi artificium usque nunc conservatur.

QUODLIBET NOMEN ADJECTIVUM UT VERBUM CONJUGATUR : QUÆDAM HIC EXHIBENDA.

Di *vel* dna yē, *Ego sum humanus.*	Ye we, *Humanus esto.*
Na (ña) *vel* gui nhò, *Tu es bonus.*	Nhò we, *Bonus esto.*
Na *vel* y hāi, *Ille est terreus.*	Hāi we, *Terreus esto.*
Di *vel* dna otho he, *Nos sumus nihil.*	Otho we, *Esto nihil.*
Na (ña) *vel* gui meti wi, *Vos estis divites.*	Meti we, *Dives esto.*
Na (ña) *vel* gui dodo hū, *Vos estis stulti.*	Dodo we, *Stultus esto.*
Na *vel* y hui yū, *Illi sunt tres.*	Hiū we, *Triplex esto.*
Dna *vel* do ra mhā, *Ego eram unicus.*	Ra we, *Unus esto.*
Na (ña) *vel* gui nyē mhā, *Tu vacuus eras.*	Nyē we, *Vacuus esto.*
Na *vel* y na mhā, *Ille erat otiosus.*	Na we, *Otiosus esto.*
Da *vel* sta nē, *Ego fui strenuus.*	Nē we, *Strenuus esto.*
Ga *vel* sca hmū, *Tu fuisti virgo.*	Hmū we, *Virgo esto.*
Di *vel* sa hmū*, *Ille fuit dominus.*	Hmū we, *Dominus esto.*
Sta te hma, *Ego fueram aliquid.*	Te we, *Aliquid esto.*
Ga o, *Ego ero inimicus.*	O we, *Inimicus esto.*
Gasta enthò, *Ego fuero pulcherrimus.*	Enthò we, *Pulcherrimus esto.*

Ex suprà dictis, non modò verba in Othomitorum linguâ monosyllabica esse, sed et illos verbo substantivo carere omninò patet. Nam, quâ illi de causâ, quo nunquàm uterentur verbum habuissent ? Tarasci enim verbo *eni* (esse) et Mexicani verbo *ca*, quod idem significat, licet non frequentèr, tamen aliquandò, et primi illi verbis ex substantivo *eni* compositis, multotiès utuntur. Hoc mihi certum, Hispanos ex particulâ *we*, verbum illud, quod solùm in Hispanorum Othomitè loquentium sonat, totum confecisse. Non tamen Indi illud inventum receperunt, sed poterimus ne illam divinam sententiam Ego sum qui sum Othomitè reddere ? Possumus quidem, et ità, ni fallor : *ma hu nga*, "meum nomen ego." Lingua illa, suâ ex naturâ, illud non repugnat; sed intelligeretur vel ne ab Indis hæc sententia ? hoc nimirùm nescio, et nemo, nisi priùs experiatur, scire potest.

* Hmū, *dominus*, et hmū, *virgo*, sunt homonyma. sed variis modis distingui possunt, additione syllabarum significantium, ut apud sinenses, vel usu synonymorum, quorum multa sunt in hâc linguâ.

D.

ORATIO DOMINICA OTHOMITE VERSA CUM SCHOLIIS.

Ut meliùs hujus linguæ indoles cognoscatur, orationis Dominicæ versionem ab Andreâ Olmos scriptam, à Ramirezio* deindè, et à Joachimo Yepes postremò correctam adducere placuit; illamque, duobus aliis modis, quibus lingua ea facere posset, addam. Latina translatio llteralis omninò est.

1.	Ma thà he ni bùy mahētsi	1.	Noster pater habitas cœlum
2.	Da ne ansū ni hūhū	2.	Vocabunt sanctum tuum nomen,
3.	Da ēhē ga he ni bùy	3.	Veniet ergà nos tua habitatio,
4.	Da kha ni hnee	4.	Facient tua voluntas
5.	Ngù wa na hày	5.	Et ità hic terra
6.	Te ngù mahētsi	6.	Sicut cœlum
7.	Ma hmē he ta nà pa	7.	Noster panis quæque dies (cujusque diei)
8.	Rà he na ra pa ya	8.	Da nos unus dies nova (hodiè)
9.	Ha puni he	9.	Et parce nos
10.	Ma dupatè he	10.	Nostra debita
11.	Tēngù di puni he	11.	Sicut nos parcimus
12.	U ma ndupatè he	12.	Nunc debitores nostri
13.	Ha yo wi hē he	13.	Et cave ne permittere nos
14.	Ga he kha na tzò cadi	14.	Labemur in turpis actio
15.	Ma na pehe he hin nhò.	15.	Sed salva nos non bonum, (à non bono).
16.	Da kha.	16.	Facient, (hoc est *Amen*).

SCHOLIA.

1. Ma thà he ni bùy mahētsi.

Ma, meus; *thà*, pater; *he*, nos (meus pater nos, *i. e.* noster pater); *ni*, tu, tua; *bùy*, habitare, habitatio; *ma*, latus, latitudo; *hē*, extensus, extensio; *tsi*, in circùm, *i. e.* cœlum.

2. Da ne ansū ni hūhū.

Da, futuri indicativi tertiæ personæ particula; *ne*, vocare; *ansū*, ab Hispano *Santo; ni*, tu, tuum; *hū*, nominare, nomen, hìc bis repetitum cultûs gratiâ.

3. Da ēhē ga he ni bùy.

Da, futuri signum; *ē*, venire; *hē*, accedere; *ga*, ergà; *he*, nos; *ni bùy*, tua habitatio (regnum tuum, cœlum).

4. Da kha ni hnee.

Da, (ut suprà); *kha*, facere; *ni*, tua; *hnee*, voluntas, (facient tuam voluntatem).

5. Ngù wa na hày.

Ngù, tantò, ità; *wa*, hìc; *na*, illa, (pronomen articuli vices gerens); *hày*, terra, (ità hic *in* terrâ).

* Oraciones y Doctrina Cristiana en Othomi, aprobadas por el tercio Concilio Mexicano; Mexico 16—. Hìc in Bibliothecis hoc opus non invenitur.

6. Te ngù mahētsi.

Te, quod; *ngù*, tantò, ità; *mahētsi*, vide suprà, No. 1., (quod sonat, sicut *in* lato spatio, i. e. cœlo).

7. Ma hmē he ta nà pa.

Ma, meus; *hmē*, panis; *he*, nos; *ta* vel *da*, quæque; *nà*, *da*, quæque; *pa*, dies, tempus, epocha, (panem nostrum omnium dierum, omnium temporum, i. e. quotidianum).

8. Rà he na ra pa ya.

Rà vel *da*, dato; *he*, nos; *na*, particula, vide suprà, No. 5.; *ra*, una; *pa*, dies; *ya*, nova (da nobis in hâc die novâ, i. e. hodiè).

9. Ha puni he.

Ha, et; *pu*, dimittere; *ni*, germinare; *he*, nos. Hìc figurâ Othomiti utuntur; dimitte germinare; non permittas crescere; dele, extingue, (dimitte nobis).

10. Ma dupatè he.

Ma, meus; *du*, debere; *pa*, vendere; *tè*, facere; sic formatur *dupatè*, debere vendere facere, i. e. debita; *he*, nos, i. e. nostra.

Hæc sententia litteratim sonat : meus nos debere vendere facere (debita nostra).

11. Tēngù di puni he.

Tē, quod; *ngù*, ità; *di*, præsentis indicativi primæ personæ signum ; *puni*, vide supra, 9; *he*, nos.—Hoc litteratim: quod (sicut) dimittere vel parcere nos (dimittimus).

12. U ma ndupatè he.

U, nunc; *ma*, meus; *ndupatè*, vide supra, 10.; *he*, nos. Litteratim : meus debitor venditor factor nos, i. e. debitoribus nostris. De modo loquendi " meus nos," vide supra, No. 1.

13. Ha yo wi hē he.

Ha, et; *yo*, non, ne; *wi*, tu, et secundæ personæ futuri particula; *hē*, consentire; *he*, nos, (et nos non permitte).

14. Ga he kha na tzò cadi.

Ga, labi; *he*, nos; *kha*, in, apud; *na*, articulus; *tzò*, turpis; *ca*, perficere; *di*, exequi. Hoc litteratim sonat : labi perficere exequi in turpe, i. e. turpè agere.

15. Ma na pehe he hin nhò.

Ma, sed; *na*, potiùs; *pe*, redimere, salvare; *he*, nos; *hin*, non; *nhò*, bonum. Sed salva nos à non bono, (libera nos à malo).

Posset etiam illa Oratio sic verti.

Go sna thà	*Domine meus pater*
To wi bùy	*Qui tu habitas*
Hē tsi	*Extensionem incircum* (*cœlum*)
Dama ka ni hū	*Dicent sanctum tuum nomen*
Dadi ni hne	*Exequatur tui voluntas*
Hài he hētsi	*Terrâ* (in) *et cœlo*
Ma hmē ta pa	*Meus panis quæque tempus*
Sa da he ni	*Placeat* (si) *da nos nunc*
Ha puni ma thày he	*Et parcere germinare mea debita nos*
Ngù i pu ma thày tì he	*Sicut parcimus meus debiti factor nos* (nostros)
Ha yo ho he ga zo tzò di	*Et cave ne consentire nos labi provocare exequi.*

Tertia versio, particulis expressis facta.

Ma thà hi* he	Meus pater venerabilis nos
We wibùy† kha hētsi	Qui moras apud cœlum
Kha ni hu	Divinum tuum nomen
Dadi ni hne	Exequatur tui (tua) voluntas
Bi kho na hày	Infrà in illâ terra
Ra ña kha hētsi	Æqualiter (ac) suprà in cœlo
Dada se‡ he ma hmē he	Da, concede ad nos (nobis) meus panis nos (panem nostrum)
Yo gazo sec§ tzòdi	Cave *ne* cademus (cadamus) propter tentationem.

E.

Omnia adjectiva, abstractaque nomina, verba et adverbia; omniaque verba et abstracta nomina, adjectiva, substantivaque esse possunt.

EXEMPLA.

1. Na nhò nhò ye i nhò he nhò.

Na nhò, bonitas; *nhò*, boni; *ye*, viri; *i*, verbalis particula; *nhò*, bona (est); *he* vel *ha*, et; *nhò*, benè.

Bonitas boni viri bona est et benè.

2. Hiatzi	i hiatzi	hiatzi	hiatzi thò.						
Lux	lucescit	lucens	lucidè.						
3. Da sa	na tsò	tsò.							
Arridebo	impietas	impius.							

Arridebo impietatem impii.

4. Mādi	na bādi :	na bādi	mēhi.						
Ama	sapientiam :	sapiens	felix (est).						
5. Mādi	Okha :	na mādi	Okha :	na mādi	Okha	hi	he	bùy.	
Ama	Deum :	amator	Dei :	amor	Dei	felicitas	et	vita.	

---

* *Ta ki*, pater venerabilis; sed *ke*, *ki*, *i*, nihil adjuncto, ad æquales, cultûs gratiâ, applicatur; tamen Sandoval, et hoc in loco, eo usus est. Rectiùs *ma kha ta*, vel *ka ta*, vel *sam mi*, Divine Pater, Sancte Pater. Vide not. 1.

† Dissyllaba dividenda sunt, particulæ hic solùm adjunguntur ut verborum numerus in textû et versione æqualis sit. Idem est ordo verborum in ambobus.

‡ Particula *se*, utilitatem damnum habenti designans, personæ adhærere potest; undè æquivalens illa Hispano *para*, Anglo *to* vel *for*, Gallico *pour* vel *à*, et Sinensi particulæ *iu*. Ferè eâ nunquàm, nec aliâ Indi utuntur.

§ *Sec*, propter; utitur etiam pro *à* vel *ab* inter Latinos, ut *yeou* apud Sinas.

F.

"Le substantif, lorsqu'il est sujet d'un verbe quelconque, se place avant, et quand il est complément d'un verbe actif, après le verbe." Remusat, Sect. 83. Hoc etiàm in linguâ Othomiticâ accidit.

EXEMPLA.

1. Do	snu	he	ña	cà	di
Petra	caput	et	absconditum	sapere	exequi

Hoc est: Caput petreum (stultus, vel dativè, stulto) et absconditum, i. e. illi absconditum est, nequit; sapere exequi, i. e. sapere; *di*, facere vel exequi, particula verbalis est. Stultus non est sapiens.

2. To	i ma	ya* tza	ya Okha	do snu
Qui	culpat	consilia	Deorum	stultus (est)

Qui Deorum consilia culpet, stultus, inscitusque est.—*Plaut.* in *Mil. Glor.* Act. III. Sc. 1.

3. Na tzu	i so	ya du	kir	mùy.
Timor	arguit	degeneres	viles	animos, (*mùy*, cor).

Degeneres animos timor arguit.—Virg. Æn. 1. 6.

G.

VARIÆ PRÆPOSITIONES.

Ga, ex; *bi*, sub; *se*, ad; *wi*, simul; *se*, suprà; *kha*, in, apud; aliaque hujusmodi.

Ngu ga do, Domus ex petrâ.
Ngu bi ngu, Domus sub domo.
Ngu se he, Domus ad nos (nobis).
Nga he ni wi, Ego et tu simul.
Ngu se ngu, Domus suprà domum.
Kha ngu, Apud domum, in domo.

H.

Nec solùm inter Anahuacenses nationes, Othomiti fuêre, qui triplex pro primâ personâ pronomen habuerint, habent et Mexicani; en illorum lingua cum Othomiticâ comparata. Sic *Ego* exprimitur:

Mexic.	Nehuatl,	nehua,	ne.
Othom.	nga,	nga-nga,	ngwi.

---

* *Ya* vel *ye*, signum pluralis.

I.

FORMÆ AD CULTUM VEL REVERENTIAM PERTINENTES.

Apud æquales dicitur :

Ni	ho	wi mā	*vel*	i mā	na bùy.
Tua	dignatio	amas		amat	vitam.

Ni	ki	i bùy	wa	} i. e. Tu vivis.
Tua	veneratio	vivit	hìc	

Ad superiores senesque, sic Othomiti loquuntur :

Rzu	ki	i ā	} i e. Tu dormis.
Altitudo	venerabilis	dormit	

Ad nobilem feminam, et etiam ad æqualis qualitatis mulieres :

Ti nsu	mā	} i. e. Tu dic.
Divitiæ femininæ	dicito	

Ad inferiores verò :

Tsi nsu	mā	} i. e. Tu dic.
Surculus femineus	dicito	
Tsi *vel* Tu	mā	} i. e. Fili mi, dic.
filius	dicito	

K.

NONNULLA ADVERBIA.

Bùy, ità; *nkha*, sicut; *nkha bùy*, ità; *nu*, iste, hìc; *wa*, hìc; *nuwa*, hìc; *ni*, illùc; *nuni*, illùc.

L.

COMPARATIO NUMERALIUM IN LINGUA SINICA ET VARIIS LINGUIS ANAHUACENSIBUS.

	Sinicè.	Othomiticè.	Mexicanè.	Huastecè.
1.	I	na, ra	ce	hun
2.	Eúl	yo, ho	ome	tzab
3.	Sân	hiū	yey	ox
4.	Ssé	gò	naui	tze
5.	Où	kū-tto	macuilli	bò
6.	Lou	ratò (unus et quinque)	chiquace	acac
7.	Thsi	yotò (duo et quinque)	chicome	buc
8.	Pa	hiātò (tres et quinque)	chicuey	huaxic
9.	Kieoù	gotò (quatuor et quinque)	chicunaui	belleuh
10.	Chi	rēta	mactlactli	lahu.

M.

'ΑΝΑΚΡΕΟΝΤΟΣ—Ωδη ΙΑ'.

Εἰς σεαὐτὸν.

Λεγουσιν αἱ γυναῖκες
"'Ανακρέων, γέρων εἶ·
"Λαβων ἔσοπτρον, αθρει
"Κόμας μὲν οὐκ ἔτ οὔσας
"Ψιλὸν δὲ σευ μὲτρωπον."
Εγω δὲ τας κόμας μὲν,
Εἴτ' εἰσὶν, εἴτ' απῆλθον,
Οὐκ οἶδα τουτο δ'οἶδα,
Ως τω γέροντι μαλλον
Πρέπει τα τερπνα παίζειν,
Οσῳ πέλας τα Μοίρης.

BARNESII LATINA VERSIO.

ANACREONTIS.—Ode xi.

De se ipso.

Dicunt *mihi* fœminæ,
"O Anacreon, senex es:
"Accepto speculo, contemplare
"Comas quidem non ampliùs existentes,
"Glabramque tuam frontem."
Ego sanè, quod ad comas attinet
Utrùm sint, an abierint,
Haud novi, hoc autem novi,
Quod seni *tantò* magis
Convenit jucundè ludere,
Quantò propior *ei* mors sit.

VERSIO OTHOMITICA.

Na dusu rēta n–ra.

NA NACREO.

Ga bicē.

1. Ye nsu tsi di mā-i
2. Go Nacreò, a ndè:
3. Sa kuti na hiē nuti
4. Y khso na stà
5. Ha ña ni dē
6. Khuani di him phò
7. Maz ye stà sa kha
8. Gua nùy spi mā
9. Haa i pa nùa
10. Yho gu manra na dà skhoo
11. Da bùy ha da khò hia
12. Ngu, da cu na du.

Scholia.

Na dusu rēta n-ra na Nacreò: Anacreontis Ode undecima.

Na, pronomen *ille, a, ud,* articuli vices gerens; *dusu,* canere *vel* cantus; *rēta* decem, decimus; *n-ra,* unus; *na Nacreò,* ille Anacreon, sensu genitivo audiendus, ut in veteri linguâ Gallicâ usus fuit, et adhùc *l'Hotel-Dieu* pro *l'Hotel* de *Dieu,* dicitur. Ille cantus undecimus Anacreontis.

Ga bi cē: De se ipso.

Ga, præpositio, quasi *ex* apud Latinos; *bi,* accusativum et dativum *nana* pronominis personalis; *cē,* pronomini unitum, demonstrativum facit.

ODE.—*Linea prima.*

Ye nsu tsi di mā-i: Juvenes fœminæ dicunt mihi.

Ye, signum pluralis, *pluviam** significat; *nsu,* genus fœmininum designat; *tsi,* sur-

* Character Sinensium *tù,* pluviam significans, qui inter radicales 173 numeratur, quatuor aquæ gutta-

culus, metaphoricè, aliquid tenerum; *ye nu tsi*, juvenes fœminæ; *di*, particula verbum designans; *mā*, dicere; *i*, signum pluralis, *ye* repetitum et abbreviatum.

Pluvia (multitudo) surculorum tenellorum (juvenes fœminæ) dicere illæ, (id est, dicunt): *mihi* subauditur.

Linea secunda.

Go Nacreò, a ndè: Domine Anacreon, senex es.

Go, particula reverentialis, quæ nominibus propriis affigitur; *Nacreò*, Anacreon, quod sonat *Domine Anacreon ; a* ex *gua* abbreviatum, est pronomen personale secundæ personæ, *tu ; ndè*, senex; (*es* subauditur, quia hæc lingua verbo substantivo caret).

Domine Anacreon, tu (*es*) senex.

Linea tertia.

Sa kutti na hiē nuti. *Sa*, verbum reverentiale, si vis, placeat tibi; *kutti*, *kut*, sumere, accipere; *ti*, facere, exequi; *na*, articulus; *hiē*, speculum; *nuti*, contemplare facere, forma imperativi.

Placeat tibi, vel si tibi placeat, accipe speculum, et contempla.

Linea quarta.

Y khoo na stā. *Na stā*, capillus, capillamentum; *khoo*, abesse; *y*, particula præfixa, signum tertiæ personæ singularis præsentis indicativi.

Abest ille capillus, vel illud capillamentum.

Linea quinta.

Ha ña ni dē. *Ha*, et; *dē*, frons; *ni*, tua; *ña*, nuda.

Et nuda frons tua (*est*).

Linea sexta.

Khuani di him phò. *Khuani*, verum, verè, à *kha*, veritas, realitas, quod existit ; *di*, particula verbis præfixa, primam personam præsentis modi indicativi, in numero singulari indicans ; *him*, particula negativa, non; *phò*, scire; *di phò*, scio; *di him phò*, nescio.

Verè, ego nescio.

Linea septima.

Maz ye stà sa kha. *Maz*, utrum; *ye stà*, capilli, (*ye*, pluvia, signum pluralis); *kha*, adesse, opponitur *kha* vel *khou*, abesse; vide lineam 4. *Sa*, particula præfixa, præteritum indicans.

Utrùm capilli adfuêre.

Linea octava.

Gua nù-i spi ma. *Gua*, adverbium, *aut, vel; nù-i*, pronomen demonstrativum et relativum, *ille, a, ud; i*, affixum, signum pluralis, à *ye*, vide lin. 1.; *ma*, volare, fugire; *spi*, verbalis particula, tertiam personam præteriti indicans.

Aut *si* illi volarunt vel fugerunt.

Linea nona.

Ha-a i pa nùa. *Haa*, particula affirmativa, *si* Hispanicum, et *yes* Anglicum, hìc verò pro *sed*, vel *autem* utitur; *i pa* vel *di pa* vel *di phò*, scio, vide lin. 6.; *nùa*, hoc, illud, quod; (vide lin. 8).

Hoc autem novi.

rum imaginem continet; quatuor etiàm guttas, sed diversè positas, habet character *chú*, omnes, signum pluralis. Quæ hìc similitudo idearum Sinenses inter et Othomitos !

Linea decima.

Y ho gu ma nra na dà skoo.. *Y ho*, decet; *ho*, convenire, *y* signum personæ, vide lin. 4.; *gu*, contractio ab *angu*, tantum, tantò; *nra*, contractio à *manra*, magis; *na*, articulus indefinitus, unus, a, um, Anglicè *a*, *an*; *dà skhoo*, à *dà*, florens, floridus, et *khoo*, abesse, absens, (vide lin. 4.), homo qui florescere desinit, senex.

Florem absentem (senem) tantò magis decet.

Linea undecima.

Da bùy ha kho hia. *Da bùy*, (*u* nasale) *bùy*, vivere; *da*, particula præfixa, tertiam personam futuri temporis indicans, quod hìc infinitivi vices gerit, et sic dicitur *ut vivet*, pro *ut vivat*, hæc lingua etiam modo subjunctivo carens. *Ha*, (conj.) et, vide lin. 5, 9; *khohia*, esse vel stare in luce, metaphoricè, jucundè vivere; *da*, signum futuri, ut suprà dictum.

In luce stare (jucundè vivere).

Linea duodecima.

Ngu da cu na du. *Ngu*, contractio ab *hangu*, minus, quod hìc pro *magis* utitur. In hâc lingua, *magis* nunquam sibi opponitur. Tantò magis illum amas, tantò *minus* (magis) te odit. *Minus* hìc distantiam denotat, et tantò minùs ejus odium distat à tuo amore, hæc sententia significat. Ergò in hoc versu, tantò minùs mors à te distat, Othomitus dicere vult, quamvis verbum *appropinquare* mox sequatur. *Na du*: *du*, nomen substantivum, mors; *na*, articulus præfixus, ut suprà sæpè dictum. *Da cu*: *cu*, contractio à *cuattu*, appropinquare; *da*, signum futuri, vide lin. 11.

Quantò hìc subauditur, ut *tantò* in Græco.

Minùs (quantò magis) mors appropinquat, i. e. *quantò* minùs mors *ab illo* distet: quantò à minori distantiâ mors illi appropinquet.

ERRATA.

P. 252, *l*. 7 *à capite*, alium *lege* aliam.
P. 255, *l*. 17 *à capite*, *dele* 10.
P. 256, *l*. 8 *à calce*, eadem *lege* eâdem.
P. 263, *l*. 11 *à capite*, Hebræi *lege* Hebræâ.
P. 263, *l*. 11 *à capite*, Græci *lege* Græcâ.
P. 264, *l*. 14 *à calce*, quos *lege* qui.
P. 266, *l*. 13 *à calce*, albâ *lege* albo.